

luntate. Hanc licentiam concedere potest Prælatum immediatus. nu. 83. 84. 85. Possunt Religiosi, nisi detur statutum contrarium in Religione, etiam sine licentia fieri commissarii ad condenda testamenta. Et id etiam licet Franciscanis. num. 86.

TRACTATUS X.

*De Beneficiis, & Horis
Canonicis.*

P R O Æ M I U M.

POst tractatum de statu Religioso, & de obligationibus illi annexis convenienter subnectitur tractatus de Beneficiis, & de iis ad quæ beneficiarii specialiter tenentur; nec non de Horis Canonicis, ad quas tum Regulares, tum beneficiarii, omnesque Ecclesiastici in Sacris constituti obligantur.

C A P U T I.

De Beneficiis, Ecclesiasticis

§. I.

De natura, & multiplicitate beneficiorum.

1. Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus, ex bonis Ecclesie, propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesie constitutum. Tract. 27. cap. un. n. 1. Ad beneficium Ecclesiasticum sex conditiones requiruntur. Prima. Quod sit fundatum auctoritate Episcopi. Secunda. Quod habeat

quid spiritualitatis annexum. Tertia. Quod conferatur Clerico. Quarta. Quod non conferatur, nisi ab Ecclesiastica persona. Quinta. Quod sit perpetuum. Sexta. Quod collator pure, & sine aliqua conditione alteri, non sibi conferat, nec retineat. n. 4. Beneficium Ecclesiasticum dividitur primo in majus, & minus. Majora beneficia sunt Papatu, Episcopatus, & Abbatia: minora sunt omnia alia. Deinde dividitur in Regulare, & Sæculare. Regulare est, quod solis competit Regularibus, ut Prioratus, Abbatia, Canonicatus regularis, & alique Paræciæ. Sæculare quod solis Clericis conferri debet. Beneficium præsumitur sæculare, nisi probetur esse regulare. Probatur autem regulare, tum ex sui primæva institutione, tum præscriptione 40. annorum pacificæ possessionis. n. 5. 6.

2. Sæcularis est incapax beneficii Regularis. Tract. 28. cap. un. num. 7. Probabilis est, Regulares esse incapaces beneficii sæcularis curati, Canonicis regularibus exceptis. num. 9. Juxta communem sententiam sunt etiam incapaces beneficii sæcularis simplicis. nu. 10. Ex jure communi possunt Regulares ad Episcopatum assumi. nu. 11. Novitius est incapax beneficii Regularis administrationem habentis; alia vero quæ administrationem non habent, ipsis conferri possunt, dummodo se obligent ad Professionem emittendam. Licet non sit licitum sæcularia beneficia Novitiis conferre, ne eis detur ansa revertendi ad sæculum, valide tamen ea obtinere possunt. n. 12. Religiosus potest esse beneficiarii curati adiutor, dummodo ad tempus; & de licentia sui Prælati. Requiritur insuper, etiam Episcopi licentia; & si sit cum jure succedendi, nequit fieri sine dispensatione Summi Pontificis; quæ hodie non conceditur. num. 13.

3. Beneficium, tam Sæculare, quam Regulare dividitur in duplex, & simplex. Duplex est quod habet aliquam solemnem juris qualitatem, scilicet administrationem rerum Ecclesiasticarum juris.

jurisdictionem, vel aliquam localem præminutionem: simplex dicitur quodlibet aliud institutum ad preces Deo solvendas, ad inserviendum Altari, vel alia ministeria Ecclesiastica exercenda, ut Canonicatus, Capellania, & Præbendia. Tract. 28. cap. un. n. 14. Dividitur insuper Beneficium in collativum, electivum, & mixtum. Collativum est quod absolute, & libera voluntate Superioris confertur: Electivum est quod ab aliquibus confertur, per electionem a Superiore confirmandam: Mixtum est quod designante Patrono, & Episcopo insistentem confertur. n. 15.

4. Patrimoniam ratione cujus quis ad Sacros Ordines promovetur, non est proprie beneficium Ecclesiasticum. Tract. 28. cap. un. n. 17. Dignitates, personatus, & officia, quæ licet jurisdictionem habeant, non tamen conceduntur in titulum, ut Generalatus, Provincialatus, Prioratus, & familia non sunt proprie beneficia Ecclesiastica; quia non habent jus perpetuum percipiendi fructus Ecclesiasticos, sed tantum jus regendi. n. 18. Vicariatus generalis Episcopi non est proprie beneficium, quia est dignitas ad nutum revocabilis. n. 19. Vicarius perpetuus Parochi in Parochiali Ecclesia, Episcopi auctoritate constitutus, est proprie, & strictè beneficium: secus vero Vicarius temporaneus. n. 21. Præbendia de jure divino sunt beneficia Ecclesiastica. n. 23. Si hospitalis locus Religiosus est, & ejus curæ præfectus sit aliquis Clericus, annuus redditus habens, pro sua mercede ex primæva sui institutione & Episcopi designatione, talis Clericus beneficiarius est. n. 25. Capellania privata, auctoritate laici testatoris instituta, non est beneficium Ecclesiasticum; bene vero si auctoritate Episcopi fundata sit. Si aliquoties eam contulit Episcopus, judicandum est fuisse ejus auctoritate fundatam. Non tenetur Capellanus per seipsum celebrare, sed potest per alium lausfacere; ideoque non requiritur quod sit actu sacerdos, nisi fundator id exprimat. n. 29. 30. Si fundator exigat Capellanum qui

fit actu Sacerdos, probabilis est non posse Episcopum quamvis per una vice tantum, eam non Sacerdoti conferre. n. 33.

5. Ecclesiastica pensio est jus percipiendi fructus aliquos ex alieno beneficio alicui, sive ad tempus, sive ad vitam concessum. Pensio quadruplex est. Prima. Quæ in titulum beneficii erigitur, & dicitur Præbendium, seu beneficium simplex: Secunda. Quæ confertur laico, ob beneficium aliquod temporale Ecclesie collatum, ut quæ Regibus Ecclesiam defendentibus confertur; aut quæ confertur æconomis Pontificum, vel Cardinalium, vel aliis sæcularibus; aut etiam Ecclesiasticis pro negotiis mere temporalibus ut Procuratoribus, Advocatis; vel Ministris Ecclesie servitibus in cantu, pulsatione Organi, apertione portarum, &c. & hæc dicitur Pensio laicalis. Tertia. Quæ fundatur in titulo mere spirituali, petique ex parte subiecti Ordinem, & ad functiones spirituales ordinatur, qualis est quæ confertur coadjutori Episcopi, vel Parochi senio, vel infirmitate cuncti; & hæc dicitur Clericalis. Quarta. Quæ licet ex parte subiecti petat Ordinem, tamen non petit Officium spirituale, sed datur titulo temporali, & ad munus omnino temporale ordinatur; qualis est quæ datur Clerico pauperi, ut alatur, vel Parocho seni, & impotenti, aut quæ conceditur beneficium resignanti, vel litem circa beneficium cedenti; & hæc dicitur mixta. Tract. 28. cap. 1. nu. 36.

6. Sola pensio Ecclesiastica erecta in titulum beneficii, quæ dicitur Præbendium, seu beneficium simplex, est vere, & proprie beneficium. Tract. 28. cap. un. n. 36. 38. Solus summus Pontifex potest etiam sine causa, & sine consensu beneficii beneficium pensionem imponere; hoc tamen regulariter non facit. Pensio autem a summo Pontifice beneficium imposita, sine causa, valida quidem esset, sed illicita. n. 40. 42. Potest Episcopus ex iusta causa pensiones beneficiarius imponere; quia hoc non est gravare beneficium; led beneficiarium.

n.43. Legati a latere, respectu illorum beneficiorum, quæ ipsi conferre possunt in Provinciis sibi delegatis, beneficiariis pensiones imponere possunt, sicut Episcopi, non vero ipsi beneficiis: Nunciis vero & aliis Legatis hoc non licet. n.44. Causæ ad licitam pensionis impositionem, si pensio sit Clericalis, sunt; ut studij pensionarius vacet, quibus Ecclesiæ valde utilis futurus creditur; ut honeste Clericus pauper vivat; & similes: si sit laicalis, sunt servitium Ecclesiæ a se vel a suis consanguineis factum, aut faciendum; vel contra Religionis Catholicæ hostes actualis Ecclesiæ defensionis. n.45.

7. Pensionis summa excedere non debet tertiam partem fructuum beneficii. Nunquam censendum est, velle Pontificem gravare pensionem aliqua, beneficia curata nisi eorum valor excedat summam centum Ducatorum, & beneficia Episcopalia, nisi excedant summam mille Ducatorum, quæ ab omni alio onere libera sint, exceptis oneribus necessariis, & ordinariis hostiarum, vini, ceræ, olei, organi, concionatoris, paramentorum, &c. juxta quantitatem ab Ordinario declarandam. Quapropter solet in pensionum literis dici: quod talis pensio imponitur, dummodo remaneant centum pro Rectore, & mille pro Episcopo. Quod si successit temporis, ita diminuat fructus beneficii, ut non remaneant. 100. pro Parocho, & mille pro Episcopo, non tenetur amplius Pensionarius juxta probabiliorum sententiam solvere pensionem. In hoc autem residuo valore computari non debent distributiones quotidianæ, quia sunt laboris, & ministerii merces. *Tract. 28. cap. un. n. 46. 48.* Abique Beneficiarii consensu, solus summus Pontifex potest ex sua potestatis plenitudine valide beneficio pensionem imponere. n. 51.

8. Quilibet sæcularis, cujuslibet ætatis, & sexus pensionis est capax. *Tract. 28. cap. un. n. 52.* Pensionis Ecclesiasticæ Clericalis solus est capax, qui Clericus est, aut habet primam tonsuram. Clerici autem, quibus pensiones ad quam-

unque summam referantur, non aliter ad gestandum habitum Clericalem tenentur, nisi postquam eas cum effectu percipere, aut exigere cœperint. *Tract. 28. cap. un. n. 52.* Probabilis est non esse capax pensionis Clericalis, qui non habet annos quatuordecim. n. 53. Excommunicatus non est capax pensionis Clericalis, bene vero laicalis, & probabiliter etiam mixtæ. Multo magis incapax est pensionis, quæ est beneficium simplex, & dicitur Præsumptum, n. 54. Probabilis est, illegitimum, aut quemlibet alium incapax pensionis, dispensatum ad beneficia, esse etiam hoc ipso dispensatum ad pensionem. Si dispensatus ad beneficium, prius obtineat pensionem, evacuat dispensatio ad beneficium, pensio enim loco beneficii recipitur. Si dispensatio sit ad unum beneficium determinate, illo prius accepto, nequit obtinere pensionem, quia evacuat dispensatio. Si autem dispensatus fuit ad beneficia in plurali, vel ad Beneficium absolute, tunc post illud poterit etiam obtinere pensionem. Dispensatus ab Episcopo ad beneficia simplicia, solum potest obtinere pensionem, quam potest Episcopus conferre. n. 56. Religiosus non est pensionis capax, nisi de licentia summi Pontificis. n. 58.

9. Pensionarius jus habet exigendi pensionem a beneficiario, taliter quod hic debeat sub culpa gravi pensionem ei solvere. *Tract. 28. cap. un. n. 59.* Pensiones ab antecessore beneficiario non solvuntur, solvendæ sunt a successore, quando pensionarius non fuit negligens in procurando quod sibi solverentur; secus si debitam omisit diligentiam. num. 61. De fructibus pensionis laicalis, & illius quæ confertur Clerico non ut tali, sed ob ministerium mere temporale v.g. Cantoris, Procuratoris, Organistæ, &c. potest pensionarius libere testari, & disponere: secus de fructibus pensionis Ecclesiasticæ, sed debet superfluum in pauperes distribui. n. 63. Pensio Clericalis, quæ requirit in pensionario primam tonsuram, obligat ipsum ad recitandum officium parvum B.V. sub pœna amissionis

nis fructuum, nisi recitet Officium majus. Si pensionarius fiat miles alicujus Ordinis militaris, cum indulto retinendi pensionem, satisfacit huic obligationi recitando Orationes Dominicæ, & salutationes Angelicæ a Religione præscriptas. n. 64. Tenetur etiam contribuire pro rata ad decimam Papalem, subsidium, & alia ad quæ tenetur beneficiarius. n. 65.

10. Probabilis est quod dum obtinetur nova pensio, debeat fieri mentio de aliis jam obtentis, non vero de Beneficiis. *Tract. 28. cap. un. num. 66.* Modi communiore, quibus extinguuntur pensiones sunt: morte pensionarii: si pensionarius militiæ adscribitur: Religionem profiteatur: contrahat Matrimonium: promoveatur ad Episcopatum: si nolit habitum Clericalem, & tonsuram deferre: & cessio ipsius pensionarii. n. 69. *Translatio pensionis est mutatio juris ex uno ad alium exigendi pensionem ex fructibus beneficii.* n. 70. Probabilis est quod in translatione pensionis, antiqua extinguatur, & nova constituitur. num. 72. Omnes qui sunt capaces pensionis, sunt etiam capaces translationis pensionis; immo etiam illegitimi, quia lex eos inhabilitans ad pensiones, cum sit pœnalis, non est extendenda ad translationem pensionis. Modus transferendi debet esse, sicut disponitur in facultate Pontificis: regulariter vero fit coram Canonico Cathedrali, aut coram quacunque alia persona in Ecclesiastica dignitate constituta; & debet de translatione certior fieri beneficiarius pensionem solvens. num. 75. Pro translatione pensionis, pecunia recipere simonia est. Licet tamen erit pensionis fructus locare, aut vendere. n. 76.

11. Coadjutoria duplex est: una temporanea, & revocabilis; cum scilicet beneficii Rectori tenio, vel morbo impedito, suum Officium exercere, adhibetur Coadjutor, qui pro eo Officium exerceat, assignato illi ex redditibus beneficii stipendio. Alia perpetua, & irrevocabilis, quæ datur cum jure succedendi in beneficio. *Tract. 28. cap. un.*

Part. II.

num. 77. 78. Solus summus Pontifex has Coadjutorias perpetuas cum jure succedendi assignare valet. In Coadjutoria requiritur eadem ætas, & sufficientia, quæ debet esse in Titulari. n. 79. Coadjutoria non est proprie beneficium. num. 80. Coadjutor cum jure succedendi; penes Coadjuto tenetur inservire Præbendæ; quæ Canonicatui, & habet absente Coadjuto omnes prerogativas, præmeritias, & honores, quos habet Principalis, ratione Præbendæ, seu Canonicatus. Si assilere nolit; tenetur ad refarciendum omne damnatum Coadjuto inde proveniens, quibus extinguuntur pensiones sunt: morte pensionarii: si pensionarius militiæ adscribitur: Religionem profiteatur: contrahat Matrimonium: promoveatur ad Episcopatum: si nolit habitum Clericalem, & tonsuram deferre: & cessio ipsius pensionarii. n. 69. *Translatio pensionis est mutatio juris ex uno ad alium exigendi pensionem ex fructibus beneficii.* n. 70. Probabilis est quod in translatione pensionis, antiqua extinguatur, & nova constituitur. num. 72. Omnes qui sunt capaces pensionis, sunt etiam capaces translationis pensionis; immo etiam illegitimi, quia lex eos inhabilitans ad pensiones, cum sit pœnalis, non est extendenda ad translationem pensionis. Modus transferendi debet esse, sicut disponitur in facultate Pontificis: regulariter vero fit coram Canonico Cathedrali, aut coram quacunque alia persona in Ecclesiastica dignitate constituta; & debet de translatione certior fieri beneficiarius pensionem solvens. num. 75. Pro translatione pensionis, pecunia recipere simonia est. Licet tamen erit pensionis fructus locare, aut vendere. n. 76.

12. Principali excommunicato, potest Coadjutor assilere, lucrari. *Tract. 28. cap. un. n. 82.* Coadjutori non debetur sedes coadjuti, sed ultima inter Canonicos. Si aliquis Canonicus sit coadjutor alicujus dignitatis, cui, nisi etiam esset Canonicus non competeret Præbendæ; neque ipsi coadjutori competit, licet Canonicus sit, cum sit Coadjutor dignitatis ut talis. Sedes autem non competit, ratione Canonicatus, sed antiquitatis. Cæterum si dignitas ad sua munera obeunda non exigit necessario, quod simul Canonicus sit, Coadjutor dignitate abente, vel impedito debet habere stallum, & obire functiones, quæ Coadjuto, si adesset, competere, num. 83. Coadjutor potest mensis, qui recreationis causa Canonicis conceduntur, sibi assumere, dummodo dies a Principali, & a Coadjutore assumpti non excedant tres mensis. n. 84. Si dum expediuntur literæ Coadjutoriæ Coadjutor moriatur, non valet in probabiliori sententia successio: Literæ autem Pontificiæ quamvis concedant successionem, etiam tempore data, vacat actualiter Canonicatus, intelliguntur de vacatione de jure, non vero de vacatione de facto, qualis est vacatio pro mortem. n. 85. Coadjutor, & Coadjutor possunt ambo simul interesse in Processionibus, Missarum solemnibus, &c.

et. unusquisque in loco sibi proprio. num. 86. Coadjutoria est incompatibilis cum alio beneficio obligante ad residentiam. num. 87.

§. II.

De obligationibus, & oneribus Beneficiorum.

13. Coadjutor tenetur habitum, & tonsuram Clericalem deferre: Gaudet privilegio fori: non potest ordinari ad titulum Coadjutoriae: non tenetur ipse ex vi hujus muneris ad Officium recitandum, sed proprietarius: nihil potest ratione Coadjutoriae exigere a proprietario, aut percipere de fructibus, vel distributionibus, nisi alter partes inter se convenerint. Si Coadjutor ob paupertatem impotens reddatur Ecclesiae deferre, tenetur Proprietarius necessaria ei ad id ministrare. Coadjutor in ingressu non debet Fabricae solvere. Tract. 28. cap. un. n. 88. Beneficia simplicia, exceptis dignitatibus, & Canonicatibus, residentiam non requirunt, nisi alter consuetudo, vel Ecclesiae particularis statutum postulet. num. 90. Episcopi, & omnes Parochi, & Pastores jure divino ad residentiam tenentur. num. 92. Existente rationabili causa, & urgente necessitate, suspendi potest obligatio residendi, & per alios impleri. nu. 95. Romanus Pontifex cum sit ex jure divino Romanus Episcopus, tenetur residere Romae, & non potest licite per longum tempus abesse, nisi ex causis alios Pastores a residentia deobligantibus. nu. 96. Eminentissimi Cardinales residere tenentur, ubi residet summus Pontifex, quia sunt quasi compaiores ovibus Domini, & Coadjutores Summi Pontificis. Probabilis est Cardinales Episcopos non deobligari a residentia in suis Episcopatibus. n. 97. Episcopi residere debent in loco ubi est Ecclesia Cathedralis. n. 98. Episcopi non residentes mortaliter peccant, & fructus pro rata absentiae restituere tenentur. n. 99.

14. Ex justa causa Christianae charita-

tis, urgentis necessitatis, obedientiae, evidens Ecclesiae aut Reipublicae utilitatis, per summum Pontificem, aut Metropolitanum approbata licite abesse poterunt. Tract. 28. cap. un. num. 100. Nomine Christianae charitatis intelligitur: si aliqua Ecclesia est in periculo haereticis, quod Episcopi praedicatione vitari potest: si illius praesentia est necessaria ad Magnatum discordiam componendam, dummodo ex tali absentia non sequatur propriae Ecclesiae notabile, aut aequale damnum: si necessaria sit ejus praesentia in Imperatoris Curia ad suam Ecclesiam defendendam, vel ad se suamque familiam de crimine laesae majestatis, aut de impuritate sanguinis purgandam. n. 101. Sub nomine urgentis necessitatis, intelligitur: Quando contra ipsum, & non contra oves est aliqua commota persecutio, dummodo non imminet ovibus grave in spiritualibus damnum; nam in tali casu tenetur animam suam ponere pro ovibus suis: Quando Episcopi vita, & salus ob adversam valentidem, ex Medicorum sententia graviter periclitatur; dummodo ex absentia notabile damnum ovibus non imminet, aut infirmitas non sit perpetua, vel cujus salutis spes non habetur. n. 102.

15. Sub nomine debite obedientiae intelligitur, quando Pontifex ob aliquod negotium ad se vocat Episcopum, dummodo sit ad breve tempus. Non est autem justa causa ad non residendum si Episcopus vocetur, ut sit Curiae Romanae Camerarius, vel Vice-cancellarius, vel summus Penitentarius, aut Camerarius Apostolicae Thesaurarius, vel Auditor Rotae, vel a secretis, aut a Confessionibus Pontificis. Si eligatur Inquisitor Generalis, licet ex vi talis muneris non sit dispensatus a residentia, sufficiens tamen causa est, ut a Pontifice dispensetur; quia causas Fidei cognoscere, & haereticos extirpare in magna Ecclesiae utilitatem redundat. Tract. 28. cap. un. n. 103. 104. Sub nomine evidens Ecclesiae, aut Reipublicae utilitatis intelligitur: quando ejus absentia

est necessaria ad jura suae Ecclesiae defendenda: vel si vocetur ad Concilium Generale, aut Provinciale: vel quando utilitas Reipublicae, vel Regni hoc exigat. Quare cum Hispaniae Episcopi sint, ex vi sui muneris, Consilarii Regii, possunt a Rege vocati ad curiam accedere. Et quoties Pontifex concedit Regi, ut possit Episcopum eligere ad munus consilarii, Praesidis, vel alterius similis muneris, ex natura sua perpetui tenetur talis Episcopus vocanti Regi obedire. n. 105.

16. Concilium Tridentinum, recreationis causa, Episcopos per tres menses a residentia aboluit; dummodo non absent tempore Adventus, Quadregesima, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi. Tract. 28. cap. un. num. 106. Probabilis est posse Episcopos continuare trimestre anni labentis, cum trimestri subsequenti. n. 108. Jure divino tenentur Parochi ad residendum in sua Parochia; si in domo propria, si in domo aliena, etiam in ea Parochia adessent tantum tres Parochiani. Ubi sunt duae Ecclesiae unitae residere debet in digniori, aut si non constet quae sit dignior, in frequentiori. Si Parochiae pars sit in Civitate, altera extra, residere debet in Civitate. num. 109. Habens duas Parochias perpetuo unitas, quarum una non sit altera dignior, aut alteri subordinata, residet in qua maluerit. Si Ecclesia Parochialis sit, ubi minor parochianorum pars habitat, & major pars habitat longe in Oppidis, tenetur habitare prope Ecclesiam. Si Parochialis Ecclesia propriam domum habet, in ea Parochus habitare debet. n. 110.

17. Si Parochus per notabile tempus personaliter non residet, mortaliter peccat, & fructus non facit suos, pro rata absentiae. Tract. 28. cap. un. n. 111. Parochus sine Episcopi licentia potest ad summum pro octo diebus abesse, relicto tamen substituto, seu Vicario. n. 113. Ex causa ab Episcopo approbata, & relicto Vicario, qui pariter sit ab Episcopo approbatus, Parochus per duos menses, & non ultra, nisi ex gravi cau-

sa, abesse potest. nu. 115. Causae ob quas potest Parochus, supposita approbatione Episcopi, a sua Parochia licite abesse, sunt illae quatuor, quae pro Episcopi assignantur supra. sect. 14. Parochus ex causa ficta licentiam impertrans ad absentiam, peccat mortaliter, si absit, & fructus non facit suos: Verum si absentia non fuerit ultra bimestre, probabile est talem Parochum non peccare, nisi peccato mendacii, & non teneri restituere fructus, cum ad absentiam bimestrem nunquam desint causae sufficientes, quas multoties non expedit Episcopo manifestare; quibus existentibus, non erit graviter illicita absentia bimestris a Concilio. Parochus pro quolibet anno permittit. Ad absentiam quae non fit ultra bimestre, non est necessaria pro foro interno licentia in scriptis. n. 120.

18. Probabilis est non posse Episcopum, aut Cardinalem occupare Parochiam actualem in suo servitio, v. gr. in Officio Praefectoris, Visitatoris, Fiscalis, Secretarii, aut alio simili; ita ut a propria residentia intra bimestre absit. Poterit tamen Parochus Ecclesiae Cathedralis, Vicariatus officio fungi. Tract. 28. cap. un. num. 122. 123. Licet Episcopus non possit occupare Parochias in officiis Vicarii, Secretarii, &c. bene tamen occupare valet duos Canonicos Ecclesiae Cathedralis, qui fructus, dum pro suo munere absumunt, percipere debent. 125. Studiorum causa, non residendi licentiam Episcopos Parochi conferre non potest. n. 127. Ex solis summi Pontificis licentia possunt Parochi, causa studiorum, a residentia abesse. num. 128. Docentes Sacram Scripturam, & Theologiam, nec non & Sacros Canones in Universitatibus, Pontificia, vel Regia auctoritate instituti, quando duoverint a residentia excusantur, & fructus faciunt suos, non vero distributiones, nec requirunt Episcopi licentiam. Studentes debent ad hoc habere Episcopi licentiam, quae illis solum ad quinquennium suffragatur, si audiant Sacros Canones, si vero Sacram Scripturam, seu

Theologiam, ad septennium; dummodo tamen omni cura pro maiore parte anni, scilicet per octo menses studii incumbant, & Scholas frequentent. Parochi in dictis Universitatibus studentes, hoc privilegio non gaudent, nec propter studium a residentia eximuntur. n. 129. 130.

19. Dignitates, Canonici, Præbendati, & Portionarii tenentur ad residendum; & si ultra tres menses absint per annum, privantur pro prima vice dimidia parte fructuum, secunda vice omnibus fructibus, quos ex anno perceperunt, atque lucrati sunt: crescente vero contumacia, contra eos, juxta Sacros Canones, procedatur. Ita ex Trid. sess. 24. cap. 12. Insuper omnes prædicti, si a Choro pluribus diebus ultra permittos a Trident. sine causa absint, mortaliter peccant. Distributiones vero, quas absentes amittunt, præsentibus accrescunt; nec possunt præsentibus eas illis donare, vel remittere, aut de illis transigere. Illis tamen tribus mensibus a Trident. concessis, levaminis causa, si absint, probabile est lucrari etiam distributiones. Tract. 28. cap. un. num. 139. 140. 141. Mansionarii, & Capellani Cathedralium, seu Collegiarum habentes in eis aliqua beneficia quæ sunt perpetua, & habent annexum servitium in Choro, tenentur ad residendum; possunt tamen a suis Ecclesiis abesse, dummodo per alios Ecclesie interserviant. n. 142. Cætera beneficia simplicia non obligant ad residentiam personalem. nu. 143.

20. Episcopus postquam est electus, & a summo Pontifice confirmatus, tenetur sub pena restitutionis fructuum perceptorum intra tres menses, munitis consecrationis suscipere, & si intra totidem alios menses id facere neglexerit, ipso jure Ecclesia privatur. Ab hac tamen pena Episcopus excusatur, si ex gravi infirmitate, vel alia rationabili causa consecrationem post tres menses distulerit. Tract. 28. cap. un. num. 144. Qui electus est ad beneficium curatum, tenetur intra annum promoveri ad Sa-

cerdotium, sub pena privationis beneficii, nulla alia monitione præmissa. Si absque propria culpa impeditus fuit, ne intra annum promoveretur, penam non incurrit. Annus autem incipit computari a tempore suscepti regiminis, & illius pacificæ possessionis. num. 145. 148. Non potest Episcopus annum a jure Parocho concessum restringere, nec eum cogere ut citius ad Sacerdotium promoveretur. n. 149. Prædicta privationis pena non afficit eos qui Ecclesiis Parochialibus Collegiatis præficiuntur, ubi plures Sacerdotes curam Parochie in solidum habent. Nec afficit Decanum, Præpositum, Abbatem, Priorem, aut Archidiaconum habentes curam animarum, sed non Parochialem, quia pena non est extendenda; nec obtinentem Parochialem insufficientem ad vicium: nec Parochum Ecclesie, quæ non sit actu curata, cujus v. gr. populus sit destructus. n. 150. Obtenientes in Cathedralibus Præbendas, aut quælibet alia beneficia aliquem Ordinem exigentia, tenentur intra annum talem Ordinem suscipere, nisi iusto impedimento excusentur. n. 151.

S. III

De qualitatibus requisitis ad beneficiorum acquisitionem.

21. Pro electione Summi Pontificis nulla in jure Canonico præscribitur ætas. Pro creatione Cardinalium eadem ex Tridentino qualitates requiruntur, quæ pro Episcopis: ex Constitutione autem Sixti V. Sufficiunt 23. anni. Ad Episcopatum nemo eveli potest ante 30. annum completum. Tract. 28. cap. un. num. 152. 153. Ad dignitates obtinendas, quæ animarum curam habent, necesse est 25. annum attigisse. Ad eas vero quæ nullam important curam animarum, opus est 22. annum completuisse. Ad Præbendam Penitentiarum requiritur 40. annus ineceptus. Hoc ipso quod quis in Penitentiarum electus est, habet jurisdictionem a Concilio Tridentino

no audiendi Confessiones penitentium totius Diocesis, tanquam Parochus totius Diocesis: nequit tamen abolvere a casibus quos sibi Episcopus reservavit. Dum est in Confessionario paratus ad audiendas Confessiones lucratur omnes distributiones, ac si esset in Choro. n. 155. Ad reliquos Canonicatus, & portiones, si Subdiaconalis sit, requiritur 22. annus ineceptus; si Diaconalis, 23. si Præbiterialis, vigesimus quartus. Pro Canonice Collegiarum, nisi aliud Ecclesie statuta postulent, aut aliquis Ordo exigatur, sufficiunt 14. anni; non tamen habent vocem in Capitulo, nisi 22. annum compleverint. n. 156. Probabile est, pro Subdiaconali sufficere 20. annum completum; pro Diaconali 21. & pro Præbiteriali 23. pariter completos, ita quod intra annum a jure concessum valeat, qui eligitur, promoveri ad Ordinem requisitum. n. 158. In Parochum eligendum, debet vigesimum quintum annum attigisse. Pro aliis beneficiis simplicibus sufficit ætas 14. annorum; & ætas requisita pro beneficiis obtinendis computari debet a tempore natiuitatis ad præsentationem, & imprecationem. nu. 160. 161. Provisio facta non habenti ætatem requisitam, licet tantum deficiat una hora, nulla est. n. 162.

22. Episcopatum appetere propter honorem, & temporalem sufficientiam tanquam finem, licet appetens dignus sit, est peccatum mortale ambitionis, & inordinatæ cupiditatis. Et si appetere Episcopatum quoad celsitudinis gradum, non ita criminofum sit, est tamen semper præsumptuosum. Appetere Episcopatum propter Episcopalem operationem, hoc est, ut proximis prodesse, & interservire possit, secundum se laudabile, & virtuosum est. Tract. 28. c. un. n. 166. 167. 168. Assumendus ad Episcopatum debet esse Doctor, & talem scientiam habere, qualem describit. Trid. sess. 22. cap. 2. Ea quoque morum probitas exigitur, quam D. Paulus. Prima. Ad Thimoth. requirit. Quæ qualitates etiam in Sacre Romanæ Ecclesie Cardinalibus adesse debent.

n. 163. 164. 171. Archidiaconi debent esse Magistri, seu Doctores, vel licentia in Sacra pagina, aut jure Canonico. Intellige tamen de Archidiaconis habentibus curam animarum. n. 172.

23. Ad recipienda beneficia Parochialia ea doctrina requiritur, quæ sufficiens sit ad oves in Doctrina Christiana instruendas, Evangelium declarandum, & Sacramenta recte administranda. n. 173. Ad reliqua beneficia, vigesima & vitæ probitas necessaria est, qua suis officiis, & muneribus debite satisfacere valeant, & ad eorum titulum ordinari. 174. Collatio beneficii facta prorsus illiterato, nec scienti videlicet latine legere, & confuturare, omnino invalida est: facta vero alicuius literato valida est, sed eam convenit irritare, & collator graviter peccat. num. 176. 177. Cum prorsus illiterato potest quidem Summus Pontifex dispensare, ut Ordines recipiat; non vero ut in illis ministret. Illiterato potest Summus Pontifex beneficium simplex conferre, non vero beneficium curatum; quia ex jure divino, & naturali debita scientia in Parocho requiritur. n. 180. 181.

24. Accipiens beneficium curatum, cum animo non ascendendi intra annum ad Sacerdotium, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum; sic & recipiens cum animo dubio. Recipiens vero cum animo conditionato v. g. ascendendi ad Sacerdotium intra annum, nisi interim pinguis hæreditas obveniat, &c. non peccat, quia intentio conditionalis est vera intentio, licet non absoluta. Tract. 28. cap. un. num. 184. 185. Si mutata prava intentione non ascendendi ad Sacerdotium, intra annum ad illud promoveretur, omnes fructus illius anni facit suos. n. 190. Si recipiens beneficium curatum cum animo ascendendi ad Sacerdotium intra annum, mutata voluntate non promoveretur; probabilius est ex hoc non teneri ad restitutionem fructuum perceptorum, a tempore quo voluntatem mutavit; quia jura præalia non sunt extendenda ad casum non expressum. num.

num. 193. Recipiens beneficium Parochiale cum animo ascendendi ad aliud, aut permutandi, aut resignandi, seu sine animo in perpetuum retinendi, non peccat, nec fructus restituere tenetur, dummodo habeat animum adimplendi munera sibi debita. num. 196. Recipiens beneficium simplex, sine animo ascendendi ad Ordines illi annexos, sed tantum fruendi ejus fructibus ad tempus, & postea laicandi peccat mortaliter, non tamen ad restitutionem fructuum tenetur. num. 197. 199. 200.

25. Ex jure communi cuilibet idoneo cujuscumque Regni sit, possunt conferri Ecclesiastica beneficia: ex jure tamen particulari aliquorum Regnorum non nisi naturalibus conferri debent. *Tract. 28. cap. un. num. 201.* Aliqua beneficia, tam simplicia, quam curata postulant quod eligendus debeat esse de tali familia, genere, consanguinitate &c. juxta Fundatoris voluntatem. nu. 218. Quando ad beneficium vocatur consanguineus Fundatoris, debet Patronus praesentare propinquorem, si idoneus sit. nu. 200. Concurrentibus duobus propinquis aequalibus in gradu, moribus, & scientia, quorum unus sit descendens per lineam masculinam, alter per foeminam, si aequaliter vocentur, ille praefendus est, qui a Patrono, vel majore parte Patronorum praesentatur. num. 222. Quando ad beneficia Ecclesiastica vocantur a Fundatore consanguinei sui, vel qui sunt de ejus genere, vel familia, admitti debent etiam illegitimi, & spurii, si a Pontifice, vel Principe saeculari legitimiati sint; si vero non sint legitimiati, attendenda sunt verba Fundatoris, si enim utatur verbis juris, seu civiliter significandis, dicendo verb. *grat. Qui sunt de familia, agnatione, cognatione, domo, prosapia, genere &c.* tunc non vocantur illegitimi, etiam naturales: si vero utatur verbis naturalibus: scilicet *Conjuncti, consanguinei, nepotes, liberi, descendentes &c.* tunc illegitimi, & spurii, & ab eis descendentes vocantur; si tamen a Pontifice dispensentur, & fiant capaces. num. 225. Illegitimi ex

parte matris, (exceptis qui sunt ex damnata copula,) sunt vere de ejus parentela, genere, cognatione &c. & consequenter vocati censentur cum his, qui sunt de parentela, genere &c. Fundatoris. Nisi subjecta materia aliud suadeat, semper praesumendum est Fundatorem loqui verbis naturalibus. num. 226.

26. Legitimi etiam remotiores praeferendi sunt illegitimis proximioribus. *Tract. 28. cap. un. num. 227.* Probabilius est graduum computationem in vocatis ad beneficia Ecclesiastica sumendam esse ex jure civili, nam agitur de successione saltem lato modo. num. 230. Ex jure canonico qui promovendi sunt ad beneficia, debent esse legitimi, id est ex legitimo matrimonio procreati; illegitimi autem sunt, qui extra legitimum matrimonium gignuntur; ex quibus si aliqui dum nascuntur, vel concipiuntur, eorum parentes valide contrahere possunt, dicuntur naturales; si vero ob aliquod impedimentum dirimens contrahere nequeunt, dicuntur spurii. num. 231. 232. Expositi, secundum probabiliorum sententiam, legitimi censendi sunt, quia plures ob parentum inopiam exponantur, & legitimi vere sunt; num. 233. Proles suscepta a Conjugibus, qui post matrimonium ex mutuo consensu in Religione professi sunt; aut altero ex conjugis consensu ad sacros Ordines promoti, est legitima quoad successorem, haereditatem paternam, & honores: illegitima vero, & irregularis quoad Ordines, & beneficia Ecclesiastica. num. 240.

27. Illegitimi quatuor modis possunt habiles fieri ad beneficia Ecclesiastica. Primo, quoad filios naturales, per subsequens matrimonium. Secundo, Per absolutam Pontificis legitimationem. Tertio, Per Pontificis dispensationem. Quarto, Per Professionem Religiosam. *Tract. 28. cap. un. num. 244.* Per subsequens matrimonium legitimitur proles, si parentem tempore conceptionis, & partus fuerint inhabiles ad contrahendum; tamen tempore intermedio, quo scilicet in

ven-

ventre matris fuit, habiles fuerant. Item quoad beneficia obtinenda, per subsequens matrimonium legitimitur filius habitus ex concubina, si inter generationem talis filii, & matrimonium cum ea, mediet aliud matrimonium, & alii filii legitimi. An autem fiat legitimus a tempore natiuitatis, & sic sit praefendus filiis ex primo matrimonio habitis, quoad successionem, & haereditatem, est utrinque probabilis opinio. num. 247. Probabilius est quod filius putative naturalis, hoc est genitus cum ignorantia quod complex esset conjugatus, non fiat legitimus per subsequens matrimonium validum, & licitum. nu. 249.

28. Ille qui est excommunicatione majore, suspensione, interdicto, aut aliqua irregularitate irretitus, inhabilis est ad beneficia Ecclesiastica obtinenda. *Tract. 28. cap. un. num. 250.* Neophytus, hoc est noviter conversus ad Fidem, est jure Ecclesiastico inhabilis ad beneficia Ecclesiastica; poterit tamen transacto laudabiliter biennio, ex dispensatione Summi Pontificis, vel Episcopi ad Ordines, & beneficia promoveri. num. 252. 253. Clerici conjugati sunt incapaces beneficii, & in hoc solus Summus Pontifex potest dispensare. num. 255. Filii Presbyterorum illegitimi excluduntur a beneficiis in eadem Ecclesia, ubi pater habet, vel habuit aliquod beneficium: immo nec possunt ullo modo in ea Ecclesia ministrare; non tamen excluduntur horum filii legitimi. num. 256. 257. 260. Non possunt filii illegitimi Presbyterorum habere pensionem super fructibus beneficiorum, quae pater obtinet, vel obtinuit: nec potest in ipsos fieri mutua, aut reciproca parentibus renuntiatio, seu resignatio; dicitur autem mutua, seu reciproca resignatio, quando ad eam adest pactum, vel conventio. nu. 262. In his solus Summus Pontifex potest dispensare. num. 263. Filii legitimi Presbyteri potest obtinere beneficium in Ecclesia, in qua pater est beneficiatus, potest etiam beneficium patris obtinere sed non immediate, nisi

ex licentia Summi Pontificis. num. 264.

§. IV.

De modis quibus beneficia canonice acquiruntur.

29. Juspatronatus est potestas nominandi, seu presentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans. Juspatronatus aliud est Ecclesiasticum, aliud laicale. Illud est quod ex bonis Ecclesiasticis comparatum est; aut Clerico, ratione alicujus dignitatis Ecclesiasticae competit; aut si juspatronatus laicale est, Ecclesia tamen, aut Monasterium donatum est; nam tali donatione Ecclesiasticum fit. Juspatronatus laicale est quod acquiritur erectione, vel fundacione Ecclesiae, aut beneficii ex bonis propriis, & potest tam laico quam Clerico competere. *Tract. 28. cap. un. nu. 268.* Juspatronatus acquiritur fundacione, constructione, dotatione; aliqui addunt etiam concessione Summi Pontificis. Fundacione dicitur acquiri, quando quis fundum concedit ad construendam Ecclesiam, & etiam si infacio domino fundi ibi construat Ecclesia, nam in eam dominium fundi transfertur. Constructione acquiritur, cum quis proprio aere Ecclesiam aedificat; sola autem reparatio non sufficit, nisi sit quasi nova constructio. Dotatione acquiritur, cum quis Ecclesiam dotat assignando illi, & ministris necessaria; idemque dicendum de Monasterio. Si dos Ecclesiae sit penitus amissa, nequit eam alius dotare pro juspatronatus abique prioris Patroni consensu. Fundatio, & constructio sine congruenti dotatione non suffiunt ad acquirendum juspatronatus. nu. 267. 268. 269. 271. Ad acquirendum ex praedictis titulis juspatronatus Episcopi consensus necessario requiritur.

30. Juspatronatus probari debet authenticis documentis, sive etiam multiplicatis presentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. A magnatibus, &

com-

communitatibus plenus probandum est, nempe & authenticis documentis, & præsentationibus continuatis saltem per 50. annos, quæ omnes suum effectum sortitæ sint. Tract. 28. cap. un. num. 272. Jus patronatus transferri potest, jure hæreditario, donatione, & cum re vendita. Tale jus est invendibile non solum jure Ecclesiastico, sed probabiliter etiam jure divino. num. 273. Patrono debetur honor, onus, & emolumentum; præsentet, præsit, defendat, aliarum egenus. Habet igitur honorem, & potestatem præsentandi Clericum ad beneficium vacans: habet primum locum in Ecclesia; choro, processioneibus: debet aliis præferri dum datur oculus pacis, in distributione candelarum &c., incumbit ei onus Ecclesiam protegendi, ejusque jura tuendi: & tandem si ad summam egestatem deveniat, ei ab Ecclesia debent necessaria suppeditari, & abundantius quam aliis egenis. num. 274.

31. Si Patroni sint omnes Ecclesiastici, vel mixti ex Ecclesiasticis, & laicis, intra semestre præsentare tenentur instituendum in beneficio vacante; si autem fuerint omnes laici, intra quadrimestre a notitia certa vacationis beneficii. Tract. 28. cap. un. num. 275. 276. Si lis moveatur super jus patronatus inter Episcopum, & Patronos, non currit tempus donec lis finiat; si inter præsentatos de prælatione sit contentio; etiam tunc non currit tempus: sed Episcopus pronuntiata sententia victorem instituere debet: si autem lis sit inter Patronos, quia in præsentando non conveniunt; elapso tempore a jure præfixo, ex devolutione Episcopus beneficium conferre debet. Et idem dicendum si inter te contentant, cui jus patronatus competat. Poterit autem Episcopus adhuc per semestre tempus prorogare: at si ultra proroget, devolvitur institutio ad alium Superiorem. num. 277. Omnes Clerici beneficii, capaces, possunt ad illud præsentari. Nemo potest seipsum præsentare, nec procurator suum Patronum. At si plures sint Patroni possunt ex ipsis aliquem præsentare. Pater potest h-

lium ad beneficium præsentare. Potest Episcopus suo filio, aut nepoti idoneo beneficium conferre, num. 279. Omnes Patroni tam Ecclesiastici quam laici, pro quibuscumque beneficiis tam curatis quam simplicibus, debent præsentare digniores. Si Patroni plures sint, omnes vocari debent, aliter præsentatio nulla est. num. 282. 284.

32. Institutio est concessio Ecclesie seu beneficii, auctoritate Episcopi, aut Ordinarii facta, non curvis Clerico, sed unico ei qui a Patrono est nominatus, seu præsentatus. Tract. 28. cap. un. num. 285. Clericus præsentatus intra terminum juris exhibere debet præsentationis instrumentum coram eo, qui habet facultatem instituendi ad beneficium. Debet etiam se personaliter coram Episcopo præsentare, & examini se subjicere; nec aliter Episcopus eum admittit debet, num. 286. Potest Episcopus absentem notorie idoneum, quia verb. grat. Doctoratus laurea insignitum, sine examine ad beneficia non parochialia instituere. Licet in parochialibus jus patronatus laicorum requiratur examen, & hoc institutionem præcedere debeat, at non debet examen fieri per concursum: sed si præsentati æqualibus vocibus gaudeant, examinandi sunt ab Ordinario, cum aliis saltem tribus examinatis synodalibus, & qui idoneus, ac dignior reperitus fuerit admitti, & institui debet. Si quis eorum plures voces habeat, hic solus est admittendus. num. 287.

33. Si jus patronatus in Parochialem sit Ecclesiasticus, & institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, Patronus eum quem dignorem inter probatos ab examinatis judicabit, Episcopo præsentare tenetur, ut ab eo instituat. In hoc autem casu, & quando jus patronatus est mixtum, requiritur examen per concursum. Cum institutio ab alio quam ab Episcopo est facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. In beneficiis simplicibus præsentati a quibus-

vis

vis personis Ecclesiasticis nequeunt institui, nisi prius ab Ordinario fuerint examinati, & approbati, etiam cum institutio pertinet ad inferiores, quamvis jurisdictionem ordinariam habentes in Clericos præsentatos; vel etiam sint Abbates, commendatarii, aut quicumque alii inferiores, quavis exemptione muniti: aliter institutio facta irrita fit. In beneficiis simplicibus quorum collatio libere pertinet ad inferiores, & non sunt de jure patronatus, examen Episcopi non est necessarium, Tract. 28. cap. un. n. 288.

34. Solus Episcopus valet de jure communi a Patronis præsentatos instituere. Nihilominus ex delegatione, communis Doctorum sententia extendit prædictam facultatem ad Vicarium Generalem Episcopi, si mandatum limitatum non habeat. Similiter Capitulum, Sede Episcopali vacante, potest Clericos a Patronis præsentatos admittit, & instituere. Præterea jus instituendi in beneficiis potest ex privilegio, aut præscriptione inferioribus Prælati competere. Competit denique prædictum jus Religiosis, sed in Ecclesiis tantum, quæ pleno jure eis subjiciuntur. Tract. 28. capitulo unico. num. 289. Etsi in jure non sit tempus præfixum ad institutionem, potest tamen per Superiorem certum tempus designari, intra quod inferior ad instituendum compelli possit. Cæterum si institutio, ob negligentiam Patroni, aut Ordinarii potentis institui, ad alium devolvatur, semestre ad instituendum conceditur. Cum institutio sit adus extrajudicialis, potest fieri quocunque die, etiam feriatis in quocunque honesto loco, etiam extra Diocesim, nisi fiat cum figura iudicii, & cum plena causæ cognitione. n. 290.

35. Si Patronatus sit Ecclesiasticus, & a pluribus Patronis præsentetur dignus, ab ipsis ut talis cognitus, & a minori Patronorum parte præsentetur dignior, hic est instituendus. Si Patronus est laicus, ad præsentatum instituitur, sufficit quod idoneus sit. Si a laicis Patronis plures æque digni præsententur, potest Epi-

Pars II.

scopus ex his eligere, & instituere quem maluerit. Si sint æquales in votis, inæquales vero in meritis, dignior instituendus est. Tract. 28. cap. un. n. 291. 292. 293. Si intra tempus concessum ad præsentandum, Episcopus instituat non præsentatum a Patrono, aut spreto præsentato vere digno, alium extraneum instituat in beneficio, talis institutio nulla est, si Patronus intra tempus præsentationis præfixum reclamet; at si non reclamet, remanet firma, & valida. num. 295.

36. Justa existente causa potest Summus Pontifex, absque consensu Patroni beneficia conferre. Major autem exigitur causa si sit jus patronatus laicale, aut mixtum, quam si sit Ecclesiasticum. Tract. 28. cap. un. n. 296. Jus patronatus si sit laicale, vel mixtum minime ei derogatur per Pontificis clausulas generales, sed requiritur ejus specifica mentio. Si major pars Patronorum sit Ecclesiastica, vel si jus patronatus laicis competat ex privilegio, consuetudine, aut præscriptione, tunc poterit per clausulas generales derogari; nec per hoc fit eis injuria, cum beneficium propriis bonis non fundaverint. n. 297. Jus patronatus Ecclesiastico censetur derogatum per clausulas generales derogatorias. Eisdem etiam derogare potest Legatus a latere, sicut & jus patronatus laicis competenti ex consuetudine, vel privilegio. Cæteri vero Prælati inferiores, & Episcopi jus patronatus sive laico, sive Ecclesiastico derogare non possunt. nu. 298. 299.

37. Secundus modus quo ad beneficium Ecclesiasticum jus acquiritur, est electio. Est autem electio in rigore accepta alicujus hominis, ad Ecclesiam suo Pastore viduam canonice facta vocatio, Superioris auctoritate confirmanda. Si dignitas, Canonicatus, aut aliud inferius beneficium communibus Clericorum suffragiis, alicui conferatur, non dicitur proprie electio; quia talis beneficiatus non est proprie Ecclesie sponsus. Si electio non indiget Superioris confirmatione, quia electores possunt per seipsum

T t

eam

eam confirmare, non est proprie electio, sed collatio, seu provisorio. Beneficia electiva solent dici Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatie, Prioratus conventuales, alique generalem in omnes Clericos, vel Monachos jurisdictionem habentes, si elector, & confirmator idem non sit: alii vero ut Archidiaconi, Archipresbyteri, Scholastici, Theaurarii, & similes dignitates minime beneficia electiva dicuntur. n. 300.

38. Quidquid fit de jure antiquo per quod aliquando Episcoporum electio Clero, vel populo, aut etiam Regibus concessa fuit; nunc Romani Pontifices ad tollendas discordias quæ inde oriebantur, sibi reservant electionem Prælatorum ad omnes Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales. Nihilominus adhuc in Germania ex antiqua consuetudine, Episcopi a Canonicorum collegio eliguntur, & deinde a Summo Pontifice confirmantur. Similiter Reges Hispaniæ, Galliæ, Lusitanæ, & Siciliæ ex consuetudine immemorabili, & Summi Pontificis concessione minime revocata, habent potestatem præsentandi, & nominandi Episcopos, pro omnibus suorum Regnorum Ecclesiis Cathedralibus. Tract. 28. cap. un. num. 301.

39. Tota Romani Pontificis electio, ad Cardinalium Collegium unice redacta est. Summus Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopus in sua Diocesi eligere valent ad beneficia Ecclesiastica. Hac universalis potestate Supremus Ecclesiæ Pastor minime utitur, sed tantum sibi reservavit electionem ad beneficia, quæ determinatis mensibus vacant, & quædam alia, de quibus infra; reliqua vero Episcopus providenda relinquit; aut aliis personis de Ecclesia benemeritis præsentanda concessit. Electiones a Summo Pontifice, & Episcopis factæ, non sunt proprie electiones, sed collationes seu provisiones, cum sit idem eligens, & confirmans. Electio ad Episcopatum, seu Abbatiam debet intra tres menses fieri; aliter devolvitur ad Superiorem. Electio ad alias dignitates,

sub eadem pœna intra semestrem faciendâ est. n. 304.

39. Si loquamur de beneficiis, quæ ex eorum fundatione certo personarum generi, aut alicujus Oppidi personis conferenda sunt, qualia sunt patrimonialia; sufficit si dignior inter personas vocatas eligatur, prætermittis aliis etiam dignissimis. Tract. 28. cap. un. nu. 306. Nominine dignioris intelligitur; qui ad ministerium assumptum utilis est. Potest enim contingere quod quis sit doctior, & Sanctior, sed non utilis ad Officium ad quod eligitur, quia caret prudentiâ, aut aliis qualitatibus ad recte illud exercendum necessariis. Ex duobus concurrentibus, cæteris paribus, dignior iudicandus est. 1. Senior. 2. Ille de cuius bonis fundata est Ecclesia. 3. Sacerdos in concursu alterius non Sacerdotis. 4. Originarius, & de gremio Ecclesiæ, respectu extranei. 5. Graduat. 6. Præditus majore prudentiâ, & morum integritate. 7. Nullum beneficium habens. 8. Potens, & nobilis. 9. Pauper. Ultimo qui aprior est ad beneficium, ejusque munerâ exercenda. n. 307. 350.

40. Beneficia Ecclesiastica primo, & principaliter instituta sunt ad utilitatem Ecclesiæ, ut habeat dignos ministris; secundario in præmium eorum, qui ob virtutem, & luda de Ecclesia benemeriti sunt. Tract. 28. cap. un. num. 308. 350. Collatio, & electio indigni est nulla, & irrita. num. 309. Probabilis est, teneri electores sub mortali conferre beneficia Ecclesiastica, sive curata sive simplicia dignioribus, ex his qui eligi valent; si tamen major dignitas prætermittitur sit levis momenti, digni electio, omisso digniore non excedet limites peccati venialis, ob paritatem materie. n. 313. 326. 350. Si elector cognoscat, quod suffragium ferendo pro digniore, vincet pars quæ indignum eligere parata est; tunc debet suffragium ferre pro digno, omisso digniore, ne indigni electio sequatur. Si non sit periculum quod ex eo quod suffragium ferat pro digniore, indigni electio secutura sit: tunc si electio est

de aliquo Prælo sine concursu, aut edictis, ad regimen tantum, & non datur spes electionis dignioris, poterit suffragium ferre pro digno. Cæterum si electio fit de aliqua Cathedra, vel Canonicatu per concursum edictis propositis, & permissio examine, tunc etiam ceteri pro digno, omisso digniore, suffragari sunt, ipse debet pro digniore suffragari. n. 327. 328.

41. Ad resignationem beneficii non tepetur resignaturus digniorem querere; dummodo resignaturus sit moraliter æque dignus ac resignans, ne in resignatione damnum inferatur Ecclesiæ. Idem dicendum de regressu faciente. Tract. 28. cap. un. num. 331. Probabilior, & communis sententia docet, teneri Religiosos enim in Prælatum eligere, qui dignior est. num. 333. Aliquando tamen excusari poterunt electores a dignioris electione, quando qui dignior est, in majori Religionis bono occupatur, ut in docendo, scribendo, concionando; vel si forte Regi, aut Principi assistat, a quo non parum Religio dependet. Sed hoc debet intellegi, quod aliquando tantum, ob prædicta munera a Prælatibus excludatur. Item si reservetur ad majorem Prælaturam, vel in celebriori loco; vel si ad gratificandum alicui insigni benefactori cupienti hunc vel illum eligi in Prælatum, ita fieri expediat. num. 336. Verius est teneri examinatos renunciare Episcopo, quis ex examinatis dignior sit. num. 337. Electio digni ad beneficia curata, omisso digniore, invalida est. Electio vero digni, omisso digniore, ad alia beneficia ex jure communi valet. num. 345.

42. Aliqua beneficia Ecclesiastica dantur per concursum oppositorum, ut in Cathedralibus Præbendæ quæ dicuntur affectæ, seu officii, nempe doctoralis, magistralis, penitentiaria, & Præbenda Sacra Scripture seu lectoralis, & in Ecclesiis Parochialibus plura beneficia curata: alia sunt, quæ sine oppositione & concursu conferuntur, ut sunt beneficia simplicia, & etiam aliqua curata, & in Cathedralibus Ecclesiis Præbendæ

non affectæ, & dignitates; & loquendo tum de his omnibus, tum etiam de collationibus Cathedralium, quæ per oppositionem in universitatibus conferuntur, (exceptis iis, quæ ex sua fundatione conferri debent certo personarum generi, aut personis alicujus Oppidi;) collatores in his beneficiis contentendis mortaliter peccant, si ea conferant digno, omisso digniore. Probabilior est eligentes dignum, omisso digniore, ad Ecclesiasticum Beneficium, vel ad aliquod officium, teneri ad restitutionem faciendam Ecclesiæ, Reipublicæ, vel digniori. Idem dicendum de eo, qui precibus, muneribus, vel suasionem, etiam abique vi, vel fraude inducit collatorem Ecclesiastici beneficii jam determinatum ad conferendum digniori, ut conferat minus digno. Tract. 28. cap. un. num. 348. 355. 371. Dignus quando se opponit ad beneficium in conspectu dignioris, etiam ut talis a se cogniti, nec peccat mortaliter; nec illud acceptando si eligatur, ad restitutionem teneretur. num. 374. Probabilis est Episcopos teneri perpetuo, in suscepto munere permanens; ac proinde jure divino, & naturali esse prohibita Episcoporum translationem; & ideo nec licite, nec valide sine gravi Ecclesiæ causa Pontificem eam permittere posse. n. 381.

43. Confirmatio plenum jus tribuit confirmato circa dignitatem ad quam electus fuerat; ante confirmationem vero nec directe, nec indirecte potest electus se ingerere administrationi beneficii, alias ipso facto privatus manet omni jure, quod per electionem acquisierat. Electus postquam confirmatus est, & beneficii titulum obtinuit, nequit per seipsum possessionem illius capere, sed ex auctoritate Episcopi in provisi beneficii possessionem ponendus est; quare ut jurisdictionis munera exercere valeat, v.g. eligere, confirmare, excommunicare, &c. requiritur quod confirmatus sit, & insuper possessionem ex ordinari auctoritate acceptet. Postquam Beneficiarius confirmatus est, & possessionem

accepti, potest quidem prædicta jurisdictionis munera exercere, non tamen ea quæ Ordinem aut consecrationem exigunt, si ordinatus, aut consecratus non sit. Tract. 28. cap. un. n. 392.

44. Confirmator priusquam electum confirmet, debet electionis, & electi qualitates explorare; & si sine tali inquisitione confirmet, graviter peccat, & insuper a Beneficio VIII. talis confirmatio ut nulla, & irrita reprobat.

Tract. 28. cap. un. nu. 393. Quoad beneficia simplicia sufficit ad confirmationem, quod in beneficio confirmandus sit per examen repertus idoneus: quod autem ab eligentibus dignior prætermittitur sit, etiam injuste, hoc ad confirmatorem examinare non attinet. Si vero electio facta sit ad beneficium curatum & confirmator cognoscat, digniorem omnium fuisse, eam confirmare non potest; nam ut supra diximus, nulla est talis electio. num. 395. Romanus Pontifex nulla indiget confirmatione. Episcopi electi a summo Pontifice, distincta confirmatione non indigent; electi vero ab aliis v. g. a Canonicorum Collegio, ut moris est in Germania a Summo Pontifice confirmantur. n. 396.

45. Prælati Regulares postquam ab Episcoporum jurisdictione fuerunt exempti, regulariter confirmantur a Prælati Superioribus immediatis ejusdem Religionis, juxta suarum legum præscriptum. Electiones Abbatum secularium, si exempti sint, a summo Pontifice confirmantur: si vero non sint exempti, debent ab Episcopo confirmari. Electiones, & confirmationes ad beneficia curata Diocesis pertinent ad Episcopum, nisi aliter ex privilegio alicui concessum sit. Electi ab Episcopo, ejusdem distincta confirmatione non indigent. Tract. 28. cap. un. num. 396. Electus post habitam notitiam suæ electionis, tenetur intra mensis consensum præbere, sub pœna privationis juris per electionem acquisiti; Insuper non prælati intra mensis consensu, possunt electores ex tunc ad aliam electionem libere procedere; nisi causa non consentiendi sit, quia electus

consentire nequeat sine Superioris licentia. Electus post consensum electioni prælitum tenetur intra trimestre, vel intra mensis, si vicinitas hujus temporis non exigat, confirmationem petere; nisi justum obster impedimentum, aliter electio facta non subsistit. In jure non est tempus designatum, intra quod confirmator teneatur electionem confirmare. Si tamen renuat, poterit electus ad Superiorem recurrere, qui confirmatori tempus præscribat, intra quod si non confirmet, devolvitur confirmatio ad Superiorem. Ad confirmandum nulla est determinata forma verborum. Nequit Superior electum, ipso invito, confirmare. Regulares possunt ad beneficia regularia etiam invito eligi, & confirmari, & si opus sit ad ea compelli. nu. 398.

S. V.

Qui valeant beneficia conferre.

46. Collatio seu Provisio est beneficium vacans libera donatio, facta ab habente legitimam potestatem. Tract. 28. cap. un. nu. 399. Summus Pontifex est, cui primo a Christo domino concessa est potestas conferendi omnia Ecclesie beneficia, cujuscunque sint qualitatis. num. 401. Si Pontifex Ordinarius præveniat in mensibus Episcopo concessis, in collatione alicujus beneficii, valida est talis provisio, utpote facta ab habente supremam auctoritatem. num. 402. Episcopus ex jure communi habet potestatem conferendi omnia beneficia in sua Diocesi existentia, non reservata Summo Pontifici; neque ad hoc indiget consecratione, sed sufficit quod sit confirmatus. num. 403. 404. Concilium generale habet potestatem conferendi beneficia: non vero Collegium Cardinalium, Sed vacante. num. 405. Sacra Romana Ecclesia Cardinales, etiam non Episcopi possunt conferre omnia beneficia, quæ in Ecclesiis suorum titularum extant, sive Canonicatus; sive dignitates sint: & quæ sive ex jure; sive ex con-

consuetudine, aut eorum dispositionem spectant. n. 406.

47. Legati a latere in Provincia suæ Legationis possunt beneficia conferre; Legati vero missi, & Legati nati nullam habent ex vi suæ Legationis potestatem ad beneficia conferenda, nisi eis fuerit a Summo Pontifice specialiter concessa. Legati a latere solum dicuntur illi Cardinales, qui ex Romana Curia a latere Pontificis, cui assistunt, mittuntur ad aliquam Provinciam administrandam, vel negotia cum Regibus aut Principibus peragenda. Legati Missi, seu Nuntii dicuntur, qui Cardinales non sunt, & mittuntur a Papa ad certa negotia agenda, & ad alias Provincie Ecclesiasticas causas, tanquam Judices cognoscendas. Legati nati sunt qui ratione suarum Ecclesiarum, Legati Apostolici munere, & officio funguntur: quasi idem sit quod quis creetur Prælati talis Ecclesie, & quod sit Pontificis Legatus; qualis est Episcopus Cantuariensis, & Archiepiscopus Rhemenis. Tract. 28. cap. un. num. 407. Possunt etiam Legati a latere conferre beneficia jurisdictionis Ecclesiasticæ: Canonicatus quoque Ecclesie Cathedralis, & cætera beneficia, quæ dignitates minores vocantur: Nec non etiam beneficia spectantia ad collationem exemptorum, & ea quorum collatio ad Apostolicam Sedem est devoluta: item quæ vacant in 4. mensibus Ordinario concessis; nisi Ordinarius habeat indultum, ut nullus alius in dictis mensibus beneficia conferre possit. In mensibus alternativæ Ordinarii collatio Legati a latere non valet, ob decretum irritans. Nec similiter valida est collatio cujuscunque beneficii generaliter, sive specialiter refervati. n. 408. 409.

48. Potest Legatus a latere suæ collationi reservare beneficia vacatura, quæ alias conferre valet, & hoc etiam cum designatione personæ, quæ tamen persona per hanc designationem nullum jus ad beneficium acquirit; & adhuc potest Legatus, mutata voluntate, cui voluerit, illud licite, & absque injuria con-

ferre. Tam beneficiorum collationem; quam eorum reservationem potest Legatus facere existentem extra Provinciam sibi commissam. Tract. 28. cap. un. num. 411. Legati Missi, sive Nati nullam ex ipsius legationis munere habent potestatem ad beneficia conferenda, nisi eis a Papa specialiter concedatur. Quia vero aliqui mittuntur cum potestate Legati a latere; tales poterunt beneficia conferre; at quia talis potestas solet eis restringi, necesse erit concessionis literas percurtari. num. 412. Valor beneficii ex decem annis antecedentibus ad gratiam factam, computando sterilem cum fertili deturmi debet. num. 416. Nuntius beneficia legitima, aut beneficia vacantia in mensibus alternativæ conferre non potest. n. 420.

49. Provisio Canonicatum, & Præbendarum ad Capitulum simul & Episcopum pertinet; nisi aliud ex consuetudine, aut præscriptione observari contingat. Tract. 28. cap. un. num. 423. 424. In collationibus simultaneis Episcopi & Capituli, quando de jure speciali electio pertinet ad Episcopum, & Capitulum, tantam vocem habet Episcopus, ac totum Capitulum: Si vero de jure communi ad eos spectet, Prælati vox pro una tantum computatur. num. 425. Quando collatio est communis, & Episcopus ac Capitulum in Electione dissentiant, neutra collatio valet: & tunc si intra semestre Pontifex non provideat, devolvitur electio ad Superiorem. Communiter autem in Cathedralibus ad evitandas lites, sunt conventiones, inter se dividendo provisiones Canonicatum, Præbendarum &c. per turnum, choros, menses, vel hebdomadas, aut per beneficiorum genera. Quapropter in hoc uniuersumque Ecclesie consuetudini standum est. num. 426. 427.

50. Electio Canonici Penitentiarum, ex decreto Tridentini ad Episcopum uti nec spectat. Tract. 28. cap. un. num. 428. Statuit etiam Tridentinum sess. 5. cap. 1. Quod in Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus, aut Collegiatis populi.

populi insignis, aut Cleri numerosi, Præbenda deputetur pro lectore Sacræ Scripturæ, ad quam electio personæ pertinet ad Episcopum; Collatio vero Præbendæ ad Capitulum, vel ad eos, ad quos ante Concilium pertinebat; dummodo vacet in mense ordinario, nam si vacet in mense Apostolico, aut alias sit affecta, electio personæ, & collatio pertinet ad Pontificem; falsis iuribus, aut consuetudinibus aliquorum Regnorum, num. 429. 430. Tempus, & materia Sacræ Scripturæ legenda, arbitrio Episcopi relinquuntur; & satisfaciunt etiam legendo Theologiam Scholasticam. Talis Canonice diebus quibus legitur, luatur distributiones pro omnibus Horis, excepto Matutino, quod vespere dicitur. Ita ex concess. Gregorii XIII. Theologalis Canonice, nec retento, nec dimisso officio potest aliam Præbendam optare: nec Præbenda Theologalis potest a sequente Canonico optari. n. 431.

51. Pro electione ad Canonicatum seu Præbendam, si aliquis ex electoribus sit legitime impeditus potest alteri suas vires committere; potest enim electio per Procuratorem fieri. Probabilis est non esse necessarium, quod elector Canonice sit præsens examini. Tract. 23. cap. un. num. 435. 436. Non valet electio, nisi præstito prius juramento de eligendo magis idoneo, nisi post decretum Leonis X. & aliud Sixti IV. detur consecratus legitime præscripta. num. 437. Est de substantia electionis quod omnino fiat per secreta suffragia. num. 438. Si quis Canonice ostendat alteri schedulam suffragii malefice ad annullandam ejus electionem, alias sine ejus voto validam; adhuc vera est, & valida talis electio. Pariter ostensio schedulæ ex errore, aut ignorantia alteri, vel aliis divisive, & in occulto facta minime annullat electionem. num. 439. Si ostensio schedulæ esset causa, quod talis electio facta fuit, aut id rationabiliter presumere, deberet irrita declarari, & cassari; maxime, si schedulam ostendens sit caput factionis, & id fecit, ut alii enim sequerentur. Si ante actum e-

lectionis, aut post illam dicat quis pro quo suffragaturus est, aut suffragatus sit, peccat, & inique agit, electio tamen valida est, dummodo in acta scrutini suffragium fecerit. num. 440. Si quis ore tenus cum non potest per se ipsum ferre suffragium, mandat Procuratori, ut pro tali, seu pro determinata persona suffragetur, tale suffragium validum est, quia est vere secretum. num. 34.

52. Pro magistrali, & doctorali examen publicum, est omnino necessarium, & ut forma requisita ad validitatem electionis, ita quod estis quis doctissimus sit Magister, & publica famulari Præbenda dignissimus, si examini non se subiciat, ineligibilis est. Pro Præbenda Magistrali examen faciendum est in Theologia: pro Doctorali, in iure Civili, vel Canonico. Tract. 23. cap. un. num. 442. Licite eligi potest ad Præbendam, si alias dignior creditur, qui in sermone, seu lectione ex memoratæ lapsu, aut ob infirmitatem deficit. num. 443. Harum Præbendarum electio intra semestre fieri debet, alias ad superiorem devolvitur. num. 447. Episcopatus vacant omnibus illis modis, quibus ut dicemus, alia Ecclesiastica beneficia vacare; nempe per obitum, renuntiationem, promotionem, seu translationem ad alium Episcopatum &c.: translatione tamen non vacat Episcopatus, nisi post receptam possessionem novi Episcopatus. n. 452. 453.

53. Potestas Capituli, sede vacante, est ordinaria, & se extendit ad omnia, ad quæ potestas Episcopi ut talis se extendebat, exceptis casibus in iure expressis. Tract. 23. cap. un. num. 254. 255. Capitulum intra octo dies, a morte, vel translatione Episcopi, tenetur Vicarium eligere, qui saltem sit doctor, vel licentiatum in iure canonico; & interim iurisdictione ad totum Capitulum spectat: potest etiam Capitulum ex consuetudine duos, aut plures Vicarios constituere, licet de gremio Capituli non sint, num. 456. Probabilior, & tutor opinio est, non posse Capitulum pro li-

bito, absque iusta, & rationabili causa Vicarium electum mutare. num. 459. Vicarius, vacante sede, electus non habet totam iurisdictionem Capituli, sed eam tantum quam habet Vicarius Episcopi; nisi Capitulum specialiter amplius concedat; & hoc est probabilior. Suspendo autem Capitulum, etiam intelligitur suspendi Vicarius; nam tota huius iurisdictione a Capitulo dependet. nu. 360.

54. Omnia beneficia, quæ Episcopus ex iure, si viveret, conferre posset, Sede Episcopali vacante, sunt Pontifici reservata. Potest tamen Capitulum ex utroque communi recepto edicta apponere, ad concurrens vocare, & ex approbatis digniorum eligere; collatio tamen beneficiorum, si vacet in mense Pontificis, si ve Episcopi, ad Pontificem spectat, qui poterit pro libro illud conferre vel electio, vel eui maluerit. Valet etiam Capitulum habita notitia vacationis Ecclesiæ Parochialis in ea idoneum Vicarium cum fructuum assignatione congrua, ejus arbitrio constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore provideatur. Tract. 23. cap. un. num. 46. 462. Nequit Capitulum conferre beneficia, quæ iure devoluto pertinent ad Episcopum, juxta probabilioris sententiam; immo nec beneficia patrimonialia: potest tamen canonicè electos confirmare, & instituere a Patronis rite presentatos. num. 464. Potest etiam Capitulum resignationes beneficiorum liberas admittere, non vero resignationes, causa permutationis, quoad beneficia quæ pertinent ad collationem Episcopi. num. 466. 467. Potest Capitulum commendare ad tempus beneficia, seu Ecclesiæ, donec idoneus Rector eligatur. Ad beneficia vero præsentare, sicuti poterat Episcopus dum viveret, sede vacante, minime potest. num. 468.

55. Potest Capitulum, sede vacante, excommunicationem ferre, & alias censuras; nec non & ab illis absolvere, sicut poterat Episcopus. Potest approbare Confessionarium, etiam pro casibus reservatis. Potest cognoscere de crimine hæresis,

prout poterat Episcopus. Item per se, vel per alium Diocesim visitare, dummodo sit elapsus annus integer ab Antiquis visitatione; & similiter visitare Monialium Monasteria non exempta, & quæ Episcopus non ut Apostolica Sedis Legatus, sed jure Ordinario visitabat. Potest insuper dispensare in votis, petitione debiti, illegitimitate, & aliis, in quibus poterat Episcopus jure ordinario. Item assistere matrimonii, & cognoscere de causis matrimonialibus; & compellere exequi ultimas defunctorum voluntates. Potest suis subditis dare licteras dimissionis, ut ab aliis Episcopis ordinentur; dummodo transactus sit annus a morte Episcopi, aut a vacatione Sedis, quacunque ex causa; & occasione beneficiorum accepti, vel accipiendi, quod Ordinem exigit, artetur quis ad Ordinem intra annum suscipiendum: Post annum autem non ad Capitulum, sed ad Vicarium spectat dimissionis concedere. Potest etiam Capitulum cum suis subditis in interstitiis, sicut Episcopus dispensare: concedere licentiam extero Episcopo Pontifici in Ecclesia vacante exercendi; dare licentiam ut Novitii de propriis bonis temporalibus disponant; & omnia alia facere, quæ jure ordinario facere potest Episcopus. Tract. 23. cap. un. num. 469.

56. Vicarius Episcopi tripliciter accipitur; Primus est qui dicitur hæritus, seu legitimus, quia a iure ipso seu lege constituitur est, & cum officio nascitur, qualis est Archidiaconus, seu Archipresbyter. Secundus est Vicarius foraneus, quia extra Civitatem in qua Episcopus residet, suam iurisdictionem exercet in hac vel illa Diocesis Civitate, vel Opido. Tertius est Vicarius Generalis, seu datus, quia eum Episcopus constituit, & in eodem Tribunali, ubi ipse jus dicere consuevit, pro tota Diocesis jus dicat, equique vires gerat. num. 471. Probabilior est Vicarius Generalis habere iurisdictionem ordinariam, num. 473. Non potest ex vi sui muneris beneficia conferre, nec sine speciali licentia Vicariam perpetuam; nec ad

beneficia præsentare, quorum præsentatio pertinet ad Episcopum; nec beneficiorum resignationes admittere; nec beneficia supponere, vel unire, aut revocare unimes factas, aut Ecclesias dividere; nec novas erigere Parochias, nec mutare; nec imponere pensionem super beneficia, nec beneficia a beneficiis amovere. num. 476. 477.

57. Potest Vicarius, ratione sui muneris præsentatione a Patrono instituire, & electos confirmare: Vicarium constituere in Parochia vacante per mortem Rectoris, aut quia impeditus nequit suum munus exercere: secus vero si ob imperitiam Rectoris, aut ejus depravatos mores Vicarius esset constituendus, nisi speciali gaudeat facultate. Tract. 28. cap. un. num. 478. Episcopus præbere potest, & de facto communiter præbet Vicario Generali specialem facultatem conferendi beneficia; non autem Vicario foraneo: excipe tamen beneficia, quæ jure speciali, aut ex privilegio confert Episcopus. num. 479. 480. Hæc Vicarii facultas conferendi beneficia extenditur ad omnia beneficia, tam Parochialia, quam dignitates, eaque etiam extra Dioecesim existens conferre potest, sicut & Episcopus. Licet Episcopus concedat Vicario Generali facultatem specialem conferendi beneficia, ea tamen potest per seipsum conferre. num. 481. Probabilis est non esse necessarium quod is, cui concedenda est facultas conferendi beneficia, sit etiam Vicarius generalis in temporalibus. Administratio spiritualis sita est in eo quod Vicarius possit excommunicare, suspendere, interdicere, Sacramenta administrare, & ad id facultatem præbere, beneficia conferre, eligere, confirmare, instituire, præsentare, inquirere, corrigere, vota & juramenta commutare, & relaxare. Administratio temporalis Dioecesis in judicio est quando Vicarius habet jurisdictionem temporalem pleno jure, quod ad merum & mixtum imperium spectat: extra judicium, quod potest Ecclesie bona locare, permutare,

alienare, redditus, & pensiones colligere: num. 483.

S. VI.

De Beneficiis Summo Pontifici reservatis.

58. Beneficiorum reservatio est alicujus beneficii Ecclesiastici per habentem ad id potestatem ad se, facta advocatio. Alia est ex jure communi: alia ex specialibus decretis, & regulis Cancellariæ. Alia generalis, alia specialis. Generalis est de non determinata beneficio, vel non determinata persona: specialis, est de certo beneficio, seu pro certa persona. Tract. 28. cap. un. num. 484. 485. Ex jure communi sunt primo Summo Pont. reservatæ omnes dignitates, personatus, & beneficia, quæ apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacant, vel in locis non ultra 40. milliaria distantibus a curia, vel in locis, ubi transeunt moratur Summus Pont. num. 486. 487. Sub hac reservatione non comprehenduntur beneficia jurispatronatus laicalis, ex fundatione, aut dotatione apud Sedem vacantia, & etiam juxta Barbofâ, & alios, beneficia jurispatronatus mixti, bene vero beneficia jurispatronatus Ecclesiastici. Item non comprehenduntur beneficia Regularia; nec beneficia Parochialia quæ vacant in Curia, vivo Summo Pont. si ea non providit; nec beneficia eorum, qui cum non sint curiales, in Curia originem, domicilium, aut domum conductam habent; esto enim dicti beneficiati in Curia moriantur, eorum beneficia non sunt Pontif. reservata. num. 488.

59. Secundo. Sunt Summo Pontif. reservata beneficia, quæ vacant per crimen hæresis, etiam si sint cum cura, aut facultaria, vel regularia, etiam Ordinis S. Joannis Hierosolymitani. Cum autem hæreticus ipso jure sit beneficio privatus, potest ejus beneficium, etiam ante sententiam declarativam hæresis tamquam vacans impetrari. Ex hoc sequitur non posse hæreticum beneficium

in

in favorem tertii renunciare; aut permutare a die commissi criminis. Etiam si statim convertatur, non recuperat beneficium; quia ex quo in hæresim incidit, statim illud amittit, sicut & alia bona. Tract. 28. cap. un. num. 490. Tertio. Sunt Pontifici reservata beneficia collata Clericis a jure prohibitis, vel propter generis originem, aut hæresim, vel a Fide apostasiam. num. 491. Quarto. Beneficia cujusvis qualitatibus sint, vacantia, sede Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, & Patriarchali vacante, quæ ad eorumdem Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum collationem, provisionem, presentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinebant. num. 492.

60. Quinto. Sunt Pont. reservata beneficia Parochialia collata ab Episcopis, Archiepiscopis &c. non servata forma Tridentini, Sexto. Omnia beneficia per confidentiam accepta, ipso jure vacant, & Summo Pont. reservantur. Septimo. Beneficia vacantia per privationem, ob crimen Simonie; tam realis quam confidentialis. Octavo. Beneficia vacantia, ob non factam publicationem resignationum, juxta formam Constat. Gregorii XIII. Nono. Beneficia vacantia, ob delictum offensentis litigantes in Curia Romana, eorumque Advocatos, Procuratores, testes, Notarios, & Judices. Decimo. Beneficia eorum, qui pro obtinendis beneficiis seipfos pro aliis examini supponunt, vel annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro aliis, ut ab eis aliquid consequantur; vel pro seipsis, ut aliis postea cum pensionem resignent. Undecimo. Beneficia vacantia, ob non delationem habitus Clericalis. Duodecimo. Beneficia vacantia, ob violationem sequellri, lite pendente, in curia Romana. Hæc sunt beneficia ex jure communi canonico Pontifici reservata. Cæterum quando vacatio est in pena delicti, non habet effectum ante sententiam declaratoriam criminis; exceptio criminis hæresis. Tract. 28. cap. un. num. 493. ad 500. De pluribus aliis

Part II.

reservationibus extra jus commune agit Barbofâ 3. part. de potest. Episc. Alleg. 57. a n. 19.

61. Solent Summi Pont. ab initio (sue creationis Regulas Cancellariæ constituere, per quas juxta prædecessorum suorum stylum de beneficiis disponunt, addendo, vel mutando quiddam sibi bene visum fuerit. Hæc regulæ de immediate sequenti ad electionem Summi Pont. publicantur; & omnes obligant saltem quoad actum nullitatem, usque ad ejus mortem, & non ultra. Unde sequitur, quod vacante Sede Apostolica, donec successor regulas Cancellariæ faciat, nulla beneficia vacantia reservata sunt; sed de eis Episcopi providere valent: excipere tamen beneficia, quæ sede vacante vacaverunt, & nondum provisum sunt, si successor eis sibi reservet, excipere etiam quando reservatio est, vel ratione personæ verb. grat. quia beneficiarius erat familiaris Cardinalium, aut Collector, vel subcollector, vel ratione ipsius beneficii, quia est prima dignitas, Monasterium, aut alio modo affectum Sedi Apostolicæ: tunc enim etsi, Sede vacante, vacatio contingat, ejus provisio pertinet ad futurum Pont. Tract. 28. cap. un. n. 501. 502.

62. Exemplum Regularum Urbani VIII. sequendo; (omnia enim moderna exemplaria parum, vel nihil discrepant;) Per primam regulam reservantur omnia beneficia apud Sedem Apostolicam quomodolibet vacantia, & in posterum vacatura: Beneficia illorum qui in concordia, vel discordia electi, vel postulati, quorum electio cassata, seu postulatione repulsa, vel per eos facta renunciatio, & admissa per prædecessorem Pont. Quæcunque beneficia vacantia, per obitum Cardinalium Sacræ Romanæ Ecclesie, ac officium Apostolicæ Sedis, videlicet Camerarii, Vicecancellarii, Notariorum, Auditorum litterarum contradictarum, Auditorum causarum Palatii Apostolici, Correctorum, & Scriptorum litterarum Apostolicarum, Penitentiarum prædictæ Sedis, ac abbreviatorum, ac non Commensalium, & aliorum

V u

rum

rum quorumlibet Capellanorum ejusdem Sedis, & etiam quorumcumque Legatorum, seu Nuntiorum, ac in Terris Ecclesie Romanæ, Rectorum, & Theſaurariorum ſpecialiter per Romanum Pont. deputatorum, vel deputandorum vacantia, vel vacantia, ubicunque dictos Legatos, Nuntios, Rectores, aut Theſaurarios, antequam ad Romanam Curiam redirent, obire contigerit: Nec non quorumlibet pro quibuscumque negotiis ad Romanam Curiam venientium, ſeu ab eadem recedentium, ſi in locis non ultra 40. milliaria ab Urbe diſtantibus obierint. *Tract. 28. cap. un. num. 505. 506.*

63. Item Summo Pontif. reſervantur Monaſteria, Prioratus, Decanatus, Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, officia, Canonicatus, Præbendæ, & Eccleſie, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia, & regularia, cum cura, & ſine cura, quæcumque, & qualiſcunque fuerint, (etiãſi ad alia perſonæ conſueverint, etiamſi ad alia perſonæ conſueverint, vel obtinuerint, qui auctoritate Apoſtolica ad Regimina Eccleſiarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, & Episcopopalium, aut Monaſteriorum fuerint promoti. Et talia beneficia, quæ poſſidebant poſſunt provideri, ut vacantia, non expectata prædictorum conſecratione. Quod tamen intelligendum eſt de promotis ad Episcopatum utilem, cujus fructus Episcopus percipiat: ſi enim ſit tantum Titularis, vel cujus poſſeſſionem ſine ſua culpa aſſequi nequeat, tunc prædicta beneficia, quæ prius habebat, non vacant. *Tract. 28. cap. un. n. 507.*

64. Item reſervantur beneficia vacantia per affectionem pacificam quorumcumque Prioratum, Dignitatum, Perſonatum, officiorum, Canonicatum, & Præbendarum Eccleſiarum, & aliorum beneficiorum a Sede Apoſtolica proviſorum, vel providendorum. Et ſolet hodie apponi clauſula in beneficio adepto per proviſionem Sedis Apoſtolice, ut intra duos meſes poſt adeptam paci-

cam poſſeſſionem beneficii obtenti, reſervatur in manibus Summi Pontificis ſi- bere primum beneficium incompatible dimittere; alioquin ambo ſimul vacans, & ambo ſunt reſervata. Item reſervantur beneficia, quæ Episcopi, vel alii Collatores, contra Concilii Tridentini decreta, alicui conferant: Quod intelligendum eſt, quando Collator ſciens, aut ſcire debens malicioſe diſponit de beneficiis contra præſcriptum Tridentini; ſecus ſi adhibita debita diligentia id per errorem contingat, nam ubi culpa non eſt, ibi poena locum non habet. *Tract. 28. cap. un. num. 108. 110.*

65. Per ſecundam Regulam Cancellaria reſervantur omnes Eccleſie Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Episcopales, & Monaſteria virorum valore annuum ducentarum Florenorum excedentia: exceptis Eccleſiis, ad quas ex jurepatronatus, aut ex privilegio Rex, vel Princeps designat, aut præſentat. Sub hac regula illa tantum Monaſteria comprehenduntur, quæ commendari ſolent, aut conſiſtorialiter, per viam cedule provideri, vel quæ deſtituta ſunt Religioſis. Item reſervantur beneficia, quæ vacant Sede Episcopali vacante per mortem, translationem, diſmiſſionem, aut Episcopatus privationem; dummodo collatio, aut proviſio dictorum beneficiorum unice ad Episcopum attineat: ſecus ſi ſimul cum alio tertio eâ conferre, aut præſentare debet. Inno ſi proviſio aliqua eſt per turnos diviſa v. gr. inter Episcopum, & Capitulum, tunc nec vacantia in turno Capituli, nec vacantia in turno Episcopi ſunt reſervata. *Tract. 28. cap. un. n. 512. 513.*

66. Per tertiam Regulam reſervantur dignitates majores poſt Pontificales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis; circa quod ſtandum eſt Eccleſiarum inſtitutioni, & conſuetudini. Si una Dignitas ſit major omnibus aliis illius Eccleſie, verius eſt eam tantum cenſeri reſervatam; ſi vero duæ aut plures ſint Dignitates majores omnino inter ſe æquales, omnes erunt reſervatæ. Item reſervantur Prioratus, Præpo-

ſitu-

ſtura; & alia Dignitates Conventuales, ac Præceptorie generales quorumcumque Ordinum; non tamen militarium. Hoc autem intelligitur de Prioratibus &c. perpetuis, & in commendam conſeri ſolitis, quorum Præpoſitus a Religioſis ſimul congregatis non eligitur: non vero de Prioratibus &c. temporalibus ordinum Mendicantium, & militum. Ab hac regula ſolum excipiuntur Ordines militares qui ſunt vere tales, ut Ordo Calatravæ, Alcantaræ, & D. Jacobi in Hiſpania: Divi Stephani Florentiæ: & S. Joannis Hieroſolymitani; ſecus vero Ordines S. Spiritus in Saxia: Cruciferorum in Urbe: & S. Antonii Viennensis. *Tract. 28. cap. un. num. 515. 518. 517.*

67. Item reſervantur beneficia, quibus fruuntur vere familiares, & contum commenſales Papæ, & Cardinalium. Tales ſunt Cubicularii, & Cardinalium Archivi Romanæ Curie, Milites Sancti Petri, Milites Sancti Pauli, Milites Pii, & Milites Laurentiani, Conclaviſtæ, Theſaurarius Datarie, Auditor Camere conſiſtorialis, Referendarii, & alii officiales ex Apoſtolico Palatio panem habentes: Prothonotarii; Subdiaconi, Auditores Rotæ, Acolyti, Apoſtolicarum literarum ſcriptores, & reliqui Officiales in Palatio Apoſtolico deſervientes, licet in eo non habitent, nec in Tinello comedant. Familiares Cardinalium, & eorum commenſales dicuntur, qui eis inſerviunt, & eorum ob id impennis aluntur. Ex quo inferitur, quod Vicarii, & Proviſores, vel Auditores Cardinalium in eorum Abbatibus, & Episcopatibus, licet ab eis accipiant expenſas, menſam, & victum, non dicuntur eorum commenſales, & familiares, quia ex vi ſuorum officiorum non ſerviunt perſonæ, ſed dignitati; & ideo officiales, non vero familiares proprie ſunt. Si Sede Apoſtolica vacante quis receptus ſit in familiarium Cardinalium, & obtento aliquo beneficio ab ea tunc ceſſiſſet, tale beneficium non eſt reſervatum, quia ſede vacante hæc regule vim non habent. *Tract. 28. cap. un. num. 518. 519. 520.*

68. Per quartam Regulam reſervantur beneficia quorumcumque collectorum, & ſub collectorum in qualibet Civitate, vel Dioceſi. Non eſt autem neceſſe quod actualiter officium collectoris, aut ſubcollectoris exerceant, ſed ſufficit quod ſint ad id deputati, & parati exercere quotieſcunque ſe offerat occaſio, & quod tale munus acceptaverint. Subcollector unicus eſſe debet per Civitatem ſimul & Dioceſi; ſi vero unus per Civitatem, & unus per Dioceſi eſſent conſtituti, neutrius eſſent beneficia reſervata. Si ſubcollector generalis alium deprepet particularem, hujus deputati beneficia non ſunt reſervata, quia hic proprie non eſt ſubcollector, ſed ſubcollectoris miniſter, etiamſi talis deputatio fieret ex facilitate habita a Summo Pontifice. Subcollector generalis cum ſubdelegatus Apoſtolico juridiſdictionem habens, debet eſſe perſona qualificata, & in dignitate conſtituta. Hæc regula comprehendit etiam collectores deputatos ad exigendum ſubſidium, quod ſolent Pont. imponere pro ſubventione Catholicorum contra Turcas. *Tract. 28. cap. un. num. 522. 523.*

69. Per quintam Regulam reſervantur omnia, & ſingula beneficia Eccleſiaſtica quorumcumque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum tranſfertur, eam ſequendo mori contigerit in quovis loco, quantumvis a dicta Curia remoto: & non eſt neceſſe ad hoc ut Curia dicatur tranſſerri, & conſequenter curialium eum ſequentium beneficia ſint reſervata, quod Pontifex cum Cancellaria, & Tribunalibus, aliò ſe tranſferat, ſed ſufficit quod ſolus Pontifex vadat. *Tract. 28. cap. un. num. 525.* Per ſextam Regulam reſervantur beneficia omnia cubiculariorum Summi Pont., etiam honoris nuncupatorum, ac Curſorum ſuorum. Sunt autem Curſores quidam Officiales, qui ſere omnes clericis ſunt & in clericali habitu incedunt, habitant in Palatio, & alternis vicibus comedunt in Tinello. Horum officium eſt de Capellis, Conſiſtorii Papæ, & ſimilibus Cardinales certiores facere, & af-

figere Bullas Pontificum in locis confectis. n. 527.

70. Per septimam Regulam referuntur omnes Canonici, Præbendæ, Dignitates, Personatus, ac omnia officia trium Ecclesiarum, nempe Sancti Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris. Item omnes Canonici, Præbendæ, Dignitates, Personatus, Administrationes, & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura ad provisionem, collationem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium a Romana Curia absentium, ratione suorum Episcopatum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium, titularum, & Diaconiarum, spectantia, vacantia, & vacatura, tam in Urbe quam in Ecclesiis, Civitatibus, ac Diocæsi-bus dictorum Episcopatum consistentia. Hoc loco S. Pontifex loquitur tantum de sex illis Episcopatibus Cardinalitæ dignitati annexis, nempe de Ostiensi, Portuensi, Prænestino, Tusculano, Sabiniensi, & Albanensi; quia cum hi Episcopatus non multum a Curia distent, & alias Cardinales isti sint inter cæteros digniores, & possint eorum regere absentia a Curia, vult hac via Pontifex eos cogere, ut ejus lateri semper assistant: Nec non de aliis Cardinalibus Titularibus Ecclesiarum Urbis, qui ne a Curia discedant privantur potestate conferendi beneficia, quæ in suis Ecclesiis extant. Tract. 28. cap. un. n. 527. 529. 530.

71. Per octavam Regulam sibi referat Pontifex omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, & ubicunque existentia, in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, ut quæ ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, alias quam per resignationem quocumque modo vacatura. Sub hac regula solum comprehenduntur beneficia perpetua, hoc est ad vitam ejus cui conferuntur: quare

minime referuntur Capellanis sine auctoritate Episcopi fundatæ, Præbendæ in sola temporalitate consentita, Comendæ, Coadjutoria, Vicaria ad nutum, pensiones, beneficia manualia, & alia quæ ut alibi diximus, non sunt propria beneficia. Tract. 28. cap. un. num. 534. 535. Beneficia regularia quæ hic referuntur debent esse perpetua, quales sunt multæ Abbatia regularis, maxime electivæ; nam si temporalia sunt, ut Prioratus Carmelitarum, Sancti Augustini, Sancti Dominici &c. cum non sint beneficia Ecclesiastica, minime comprehenduntur. Similiter ab hac regula excipiuntur beneficia regularia Ordinum Militarum: nec non & illa beneficia, quæ morte possessoris cessant, & expirant. n. 536. 538.

72. Verius, & tutius est sub hac regula comprehendendi illa beneficia patrimonialia, quæ ex statutis, aut Diocæsanis constitutionibus, Apostolica auctoritate firmatis, solum debeat conferri natis, oriundis, & incolis alicujus Civitatis, Oppidi, Diocæsis, aut Parochiæ, non aliis alienigenis, aut dictas qualitates non habentibus. Illa autem beneficia patrimonialia, quæ talia dicuntur ex eo quod a patrimonio, seu paterna hereditate veniunt, seu ab Avis, & Patribus instituta sunt, ut conferantur filiis, aliisque successoribus, cum sint propria beneficia juspatronatus, minime per has clausulas generales sub hac regula comprehenduntur. Tract. 28. cap. un. num. 539. 541. Probabilis est sub hac regula comprehendendi etiam beneficia Monachalium; (hoc est quando est unicum in una Ecclesia beneficium: vel quando alicui competit unius tantum beneficii collatio.) Verius est comprehendendi etiam beneficia post editionem hujus regulæ noviter erecta. num. 545. 547. Hac tandem regula referuntur omnia beneficia etiam existentia in Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis, aut Patriarchalibus, cum sit reservatio universalis. nu. 548.

73. Cum per hanc regulam solum referuntur beneficia vacantia octo mensibus

sub prænomatis, qui propterea mentes Apostolici appellantur, sequitur quod ea quæ vacant reliquis quatuor mensibus Martii, Junii, Septembris, & Decembris postest ab Episcopis, & aliis Collatoribus provideri. Tract. 28. cap. un. nu. 549. Omnes hi mensis incipiunt a puncto metaphysico mediæ noctis, quæ præcedit primam diem, & finiuntur in puncto mediæ noctis subsequentiæ ultimam diem ejusdem mensis. num. 550. Si adhibita debita diligentia, adhuc sit dubium an ante vel post mediam noctem beneficiarius obierit, & consequenter an in mense Pontificio, vel Ordinario vacaverit beneficium, Episcopus potest illud conferre; & provius ab Episcopo sustinendum est contra provium a Papa; si provius ab Episcopo facta prior sit; immo in probabiliori sententiam etiam provius facta a Papa sit prior, & provius etiam possessionem accepit. num. 553. 556. Si beneficium vacavit in mense Ordinario, & illud conferre distulit ad mensem Pontificum, adhuc minime est reservatum. Beneficia quæ Sede Apostolica vacante, in mense Pontificio vacant, non referuntur per supervenientem regulam Cancellariæ novi Pontificis, licet adhuc eorum vacatio duret. nu. 558. Apostolica Sede vacante, cessat omnis reservatio Regularum Cancellariæ, & Episcopi de omnibus beneficiis tunc vacantibus providere possunt. Hac regula solum afficit beneficia extra Romanam Curiam vacantia. n. 560.

74. Non comprehenduntur sub hac regula beneficia per resignationem expressam vacantia, quocumque enim mense per resignationem expressam in manibus Ordinarii vacant, possunt ab ipso libere provideri. Et idem dicendum de beneficiis quæ ex permutatione coram Ordinario vacant: Quæ vero per tacitam resignationem vacant, sub hujus regulæ reservatione cadunt. Est autem resignatio expressa illa quæ verbis expressis fit; tacita vero quæ jure fieri intelligitur v.g. per ademptionem secundi beneficii incompatibilis cum primo, per matrimonium, Professionem religionem,

militiam, &c. Resignatio insuper dividitur in simplicem, & conditionatam: Resignatio simplex est quæ fit, absque aliqua conditione apposita; conditionata vero est, quæ fit sub conditione aliqua v.g. quod tali personæ beneficium conferatur. Beneficia quæ per simplicem resignationem vacant, sub hac regula non continentur; beneficia quæ vacant per resignationem conditionatam potiori jure sunt Pontifici reservata, nam ex cap. fin. *Cum pridem. de Pals. & ex Constit. 58. S. Pii V. solus summus Pontifex potest resignationes conditionales admittere.* Hic tandem referuntur omnia beneficia juspatronatus Ecclesiastici, etsi eorum collatio, provius, præsentatio, electio, aut quævis alia dispositio ad quemcumque personam spectet, exceptis S. R. E. Cardinalibus Episcopis pro suis Diocæsi-bus, ac Legatis a latere pro suarum legationum Provinciarum, & iis inter quos, & Sanctam Sedem habentur concordata. Beneficia autem juspatronatus laicalis, & mixti sub hac regula minime continentur. De vacationis mense in gratiis beneficiis mentio fieri debet, sub nullitatis pœna. Tract. 28. cap. 1. num. 564. 568. &c.

75. Per hanc denique octavam regulam Alternativa conceditur, & proponitur solis tamen Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, qui omnes, ea acceptata, omnia beneficia cum cura, & sine cura in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris vacantia, & ad liberam ipsorum dispositionem spectantia, deinceps libere conferre possunt, dummodo, & quando in suis Ecclesiis vere, & personaliter resideant. Unde cum antea essent Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis liberi quatuor tantum mensis, Martius, Junius, September, & December; alternativæ beneficio eis, ut supra lex mensis cum Pontifice alternando conceduntur. Tract. 28. cap. un. num. 572. Etiam Episcopus brevi tempore, & ex justa causa, immo, & necessaria fuit Ecclesiæ; aut Reipublicæ a Diocæsi abist, non potest pro tunc gaudere beneficio alternativa,

vis, nec beneficia tunc vacantia providere. num. 574. Et probabilius est, idem dicendum etiam in casu quo timore mortis, aut ob impiorum violentiam a sua Dioecesi abesse cogatur. nu. 574. 575. Probabilius est quod post acceptatam alternativam ad conferendum beneficia vacantia, etiam mensibus Junii, & Decembris sit necessaria Episcopi residentia, licet aliis essent mensis Ordinarii. nu. 577.

76. Probabilius est, non opus esse quod menses alternativæ sint integri, ad hoc ut Episcopus ea frui possit: Unde si v.g. in principio Februarii sit absens a sua Dioecesi, & intra eundem mensem redeat ad eam, poterit beneficia in eo mense post reditum vacantia providere. num. 579. Probabilius est Episcopum ordinariæ absentem a Dioecesi, & aliquando ad illam se conferentem per breve tempus, etiam cum animo recedendi acceptatæ conferre beneficia, illo brevi residentia tempore, forte vacantia; nam tunc vere, & personaliter residet. num. 583. Probabilius est Episcopum, etiam in loco exempto suæ Dioecesis existentem, posse uti alternativæ. num. 585. Etiam quando Episcopus, & Capitulum ex consuetudine, vel concordia, auctoritate Apostolica confirmata, dividunt inter se per choros, aut turnos beneficiorum in suis mensibus vacantium collationes, potest Episcopus cum est in turno, uti alternativæ: scilicet si divisio facta sit per hebdomadas, aut dies. num. 586. Si Episcopi in collatione, aut alia quavis dispositione beneficiorum vacantium in mensibus Apostolicis, aut aliorum quomodolibet Sedi Apostolicæ reservatorum Sedi Apostolicæ reservatorum se intromiserint, aut quominus provisiones, & gratiæ Sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, quomodocunque impedimentum appoverint, eo ipso alternativæ beneficio, & usu privantur, collationisque ejus prætextu factæ, irritæ sunt, & nullæ. n. 587.

§. VII.

De forma servanda in beneficiorum provisione.

77. Tenetur Episcopus habita notitia vacationis alicujus Ecclesiæ, statim idoneum ponere Vicarium cum congrua fructuum ejus arbitrio designanda, qui onera illius sustineat, donec de Rectore provideatur; licet collatio, seu nominatio ad quoscunque alios spectet. Porro Episcopus, & qui Juspatronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquos Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinantibus nominet: vel per edictum publicum intra terminum decem dierum vocentur qui examinari volunt; terminus autem 10. dierum poterit ab Episcopo per alios 10. prorogari, & non ultra, aliter quidquid factum fuerit irritum erit. Terminus 20. dierum lapsus, nullum tenetur Episcopus ad examen admittere, licet possit, si velit. Tract. 28. cap. un. num. 589. 590. Transacto termino, si nullus ex oppositis descriptis idoneus reperitur, vel nullus descriptus sit, tunc Episcopus sine novo concursu poterit querere idoneum, eique vacantem Parochialem conferre; nec tenetur ultra 10. primos dies expectare, si unus tantum adscribitur, & idoneus inveniatur, sed poterit ei beneficium conferre. n. 191.

78. Examinatores Synodales in Dioecesana Synodo designandi sunt ad minus sex, qui perdurant, donec in sequenti Synodo alii designentur: & debent esse Magistri, seu Doctores, aut Licentiatum in Theologia, aut Jure Canonico; vel alii Clerici etiam Regularis etiam ex mendicantibus, aut etiam seculares. Possunt examinatores designari per officia, designando v. gr. Vicarium Generalem, Pœnitentiarum, Magistralem, Priorem, &c. talis Conventus pro tempore. Tract. 28. cap. un. num. 592. 593. 596. Possunt examinatores aliquod stipendium pro labore accipere.

perè; num. 597. Si examen fiat ante terminum edicti elapsus nullus est, & consequenter provisio invalida est. Omnes etiam notorie digni debent examinari, ut valide eis Parochialis conferatur. Si examinatorum vota paria sint, Episcopus ad suffragandum accedere potest. num. 598. 599. Si ultra tres examinatores Synodales ad examen percursum ad Parochialem adhibeantur alii non Synodales, validum est examen: secus si duo tantum examinatores Synodales adhibeantur; exceptis tamen illis Parochialibus, quæ sine concursu providentur. n. 600. 601.

79. Sine concursu providentur. 1. Parochiales juspatronatus laicalis; excepto casu quo plures sint æqualiter presentati, tunc enim examen per concursum inter ipsos fieri debet; & quando jure devoluto collatio beneficii juspatronatus ad Episcopum attinet. 2. Beneficia Parochialia resignata ad favorem in manibus Pontificis. Tract. 28. capit. unico num. 602. 3. Beneficia vacantia ex permutatione; examinandi tamen sunt quando fit permutatio beneficii simplicis cum curato, vel curati minoris populi cum curato majoris. 4. Parochialis unita Dignitati, aut Canonici, quia sapit conditiones Canoniciatus de cujus natura est, ut sine concursu conferatur. Idem dicendum de beneficio curato, quod est vere dignitas, aut in Ecclesia Collegiata exercetur per Canonicos, aut hebdomadariam. Poterit tamen Episcopus Canonicos, seu alios ad curam animarum deputatos examinare. 5. Parochiales Monasterio subiectæ, vel de ejus mensa, licet per seculares administrantur. 6. Beneficia Regularia, quæ ipsis Regularibus conferuntur cum non sint perpetua, & ad solam Monasterii designationem conferantur. 7. Vicariæ perpetuæ parochialium unitarum. Et solum ad presentationem illorum, quorum dignitatis Parochialis est unita, instituendi sunt Vicarii, licet prævio examine, si idonei reperti sint. 8. Parochiales acquiruntur per regressum. 9. Parochiales, quæ sunt tam exigui redditus, ut nullus sit, qui examini se subiciat ob ejus acquisitionem; vel si ob factiones graves rixæ timeantur. nu. 603. 604.

80. Ad provisionem beneficiorum simplicium, nec requiritur citatio per edictum, nec concursus, sed tantum quod conferens sciat, illum cui confertur esse idoneum; nec requiritur examen. Hæc tamen intelligenda sunt de beneficiis simplicibus, quæ sunt de libera Episcopi collatione; nam si sint de iis, ad quæ Patroni præstant, & nominant, nequeunt presentari, aut nominari nisi prævio examine presentati, aut admitti. Tract. 28. cap. un. num. 605. Examen, & approbatio hic requisita alia non est, quam quod sufficit ad Ordines recipiendos. Beneficia patrimonialia, etsi simplicia sint, per concursum providentur. num. 606. Tempus a jure concessum Ordinarii Collatoribus ad providendum qualibet beneficia est semelstre. Quando provisio Parochialis ad Papam, vel alios spectat, debet intra quatuor menses personam magis idoneam prævio concursu eligere, & electam illis significare. Tempus ad conferendum darum incipit computari ab instanti scientia vacationis. Etiam Patronis Ecclesiasticis datur semelstre ad presentandum; Patronis vero laicis conceditur tantum quadrimestre a momento notitiæ habite. Si Patronus sit Princeps, aut Rex, etsi vacationis notitiam habeat, quadrimestre ad presentandum datum non currit. Similiter non currit semelstre in beneficiis devolutis; & ideo post devolutionem habet Superior ad quem spectat sex menses ad providendum. n. 607. 608.

81. Conditiones a jure pro omnium beneficiorum valida provisione requisitæ sunt. Prima. Quod provisio beneficii sit libera, hoc est absque ulla coactione. Secunda. Quod beneficium conferatur pure, hoc est sine ulla conditione. Tertia. Quod collatio seu provisio fiat palam, hoc est coram testibus si de dignis, quibus probari possit. Occulta autem provisio in foro quidem interno valida est; in foro tamen externo, & maxime